

#

Genébrard
(Gilbert)

DE SACRARVM ELECTIONVM IVRE ET NECESSITATE

Ad Ecclesię Gallicanæ redintegrationem.


Auctore G. GENEBRARDO Aquarum Sextiarum Archiepiscopo.

Ad Illustrissimos Cardinales D. Philippum Segam Legatum Placentinum, & D. Nicolaum Peleuæum Rhemensem Arch. & primum Franciæ Parem.





Iuxta exemplar
PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM NIVELLIVM sub Ciconiis viâ Iacobæa.
M. D. XCIII.



ILLVSTRISSIMIS S. R. E. CARDINALIBVS D. Philippo Segæ Ep. Placentino, Clementis octaui apud Gallos Legato, & D. Nicolao Peleuæo Arch. Rhemens. primo Pari Franciæ.

G. Genebrardus Aquarū Sextiarum Arch.



VONIAM sacer & venerabilis antistitum, abbatum, canonicorum, & aliorum sacerdotum, à plerisque regni catholicis ci-

uitatibus & prouinciis in hãc vrbem ad comitia destinatorum ordo vos pariter rogat, vt regno sanctas & canonicas Electiones à sanctiss. & canonum exactore acerrimo Clemente impetretis, ac cum ipsorum literis ad sedem apostolicam, vestras coniungatis; tam piis, tam salutaribus optatis consentaneum existimaui, vt ad vos ambos hunc tractatulum, *De sacrarum electionum iure & necessitate, ad ecclesiæ Gallicanæ redintegrationem*, dirigerem. Non est quidem dignus (fateor) vestro splendore vestráque amplitudine; at tamen non est indignus, qui

vestram vtriusque amplitudinẽ ad amplificãdam supremi numinis gloriam interpellet, vestrum splendorem ad illustrandam nostratis ecclesiæ squallentem faciem interponat. Agite igitur, clarissima S. R. E. lumina, hac sancta occasione ad sacrorum vindicias καὶ ἐλευθερώσεις vtimini, nobis de fœdo nostro statu mærentibus Clementissimum patrem exorate. Habetis eum propensum & beneuolum, qui nostris infœlicitatibus facile commoueatur, qui non modo de tota Catholica sit valde sollicitus, verumetiam de Catholicæ quibuslibet partibus

& membris egregiè merendi materiam ſibi oſtendi vehementer gaudeat.

Si bene Clementem noui, cupit ille mereri,
Omnibus immenſè ſemper de partibus orbis.

Præſtantior Iubileus ab eo in noſtram patriam manare non poteſt, quàm quo leuitarum poſſeſſiones ad Synagogam reuertuntur, & ad priſtinam familiam habitatores terræ ſanctæ redeunt. Cum Romæ eſſem ante quadriennium, & ille Datarij magnique Pœnitentiarij ſummo munere fungeretur, iam totus videbatur compoſitus ad opt.

max. pontificis effigiem, iam totus restaurationem omnium locorum & ordinum spirabat ac meditabatur. Hãc Palmam ei supremus Deus, opinor, designabat, vt captiuitate hac plusquam babylonica 70. annorum nostratem ecclesiam liberaret. Instat enim septuagesimus, ex quo Franciscus primus, circumscripto Leone 10. primùm publicas vocationes sustulit, & in suas priuatas libidines conuertit. Absit vt Clemens se sic à laïcis principibus decipi patiatur, ac Leonem illum, cuius memoriæ ne Italici quidem illius temporis scriptores pe-

percerunt, æmulari malit, puriora ſpecula Alexandrum 2. Gregorium 7. Victorem 3. Vrbanum 2. Paſcalem 2. Calixtum 2. Hi enim omnes libertatem eccleſiaſticam ab Henricis Impp. per inueſtituras & concordata politica, oppreſſam fortiter vindicarunt, atque effecerunt, vt Germania hodie ſuis electionibus potiatur. Tanta profectò fœlicitate, vt ſi per principes ad cathedras paſtores vocarentur, iamdudum illæ in Lutheranorum & Sacramētariorum deprædationem incidiſſent. Vſque adeo iſti inuidè, auarè, ambitiosè Chriſti pa-

trimonio & ſacris opibus inhiant, quas dum virtute, doctrinæ puritate & deligentium ſuffragationibus aſſequi nequeunt, principum libidinibus & ſacrilegiis ſubijcere conantur. Non hæc apud nos noua eſt querimonia, non hæc prima expoſtulatio. Nam à clero in vniuerſis Franciæ conuentibus repetita. Memoria ſanè noſtra in Aurelianenſi ann. 1560. Bleſenſi 1576. Melodunenſi 1580. Pariſienſi 1586. denique ferali illo Bleſenſi 1588, nec tamen propter regum noſtrorum infœlicitatem exaudita, quòd bolum ad religionem captiuandam

deglutiendámque suo statui suauem & commodum, vt ipsi quidem iudicant, vt probi omnes, & experientia docet, perniciosum ac exitialem, è faucibus sibi eripi pati vnquam noluerint. Et eam tamen esse iustam, immò verò necessariam agnouit & libere fassus est 1584. Ioan. Baptista Castellius Episc. Ariminensis, de sanctissima illa Caroli Card. Borrhomæi schola, nuntius Apostolicus, cuius nomine ipse recreor propter viri singularem pietatem, tum quia me amabat plurimùm. Is conspicatus quàm fœdè Vineam Domini in hac re-

gione tanquam ſingularis ferus Henricus 3. depaſceretur, & quantis vulpibus eam committeret, tyranno auſus eſt dicere. Tu es mirabilis ignis Gehennæ ſtructor. Nam vnico momento tres ad Zabulos tranſmittis, Te qui iſtum citra Numinis ſenſum metúmque ad Abbatis munus nominas, Iſtum, quem cernis indignũ, nullôque Eccleſiaſtico initio præditum, & Fiduciarium, quo iſte ſimoniacè ad Titulum in ſua familia conſeruandum vtetur. Deinde nobis prolixè officium ſuum obtulit, apud Gregorium 13. interceſſurus pro diſſol-

uenda iſta Nominationum licentia atque tyrannide. Verùm mors eius præmatura nobis collachrymantibus tantam fœlicitatem inuidit, Deo fortaſſe vobis hanc laurum reſeruante. Concilium Tridentinum volumus, recipimus, recipi à noſtris ouibus flagitamus, hortamur, vrgemus, mandamus. At obtinere non poſſumus, quoniam vincimur numero, & perpetuo vincemur, niſi priſtinam electionum recuperemus poteſtatem. Veri paſtores ſunt hìc rariſſimi, quippè in ouile per poſticum, non oſtium ingreſſi, de quibus ſcitè magnus

Leo, *praua inchoata principio peiorem habitura sunt finem.* Itaque nullo pacto miramur, si tam paucos à catholicis partibus stantes hoc in funesto bello conspiciamus. Deinde iniquissimum videtur vt pastores nostris Cleris obtrudantur indignissimi, deglubant, crucient, mactent, perdant, pro libito deuorent, aulico ritu dominentur in cleris (hoc enim est D. Petri κατακυριεύειν) & interim Capitula, Monasteria, Collegia, Conuentus alii sacri, eorum petulantiam & libidinem cogantur tolerare, sublatis exemptionibus aliisve priuilegiis ad frænan-

dam luporum licentiam, luxuriam, auaritiam, ambitionem, ſimoniam, ne turpiora enunciem, per Concilia & maximos pontifices, ſapienter inſtitutis atque conceſsis. Quia pluribus iſta proſequi non debeo, apud vos præſertim, qui iſtorũ omnium fontes, rationes, cauſſas liquidiſſimas & compertiſsimas tenetis: ſupereſt, vt tantis malis occurratis, tot peſtibus medicinam inueniatis (Cardinales Illuſtriſsimi) pro veſtra erga Deum immortalẽ charitatẽ, pro veſtro purpurei cardinalatus officio atque inſignibus, pro veſtra erga thronum apo-

ſtolicum obſeruantia, pro ve-
ſtra erga ſummum Pontif. au-
ctoritate. Non perſuaſu diffi-
cilem, opinor, ſentietis Pon-
tificem. Nam quia primus ſa-
crarum Electionum à Chriſto
inſtitutarum, & ab Apoſtolis
obſeruatarum, præco fuit
Clemens Petri & Pauli Diſ-
pulus, eorumque in Romana
ſede ſucceſſor: ſpero Spiritum
ſanctum eas, nobis ante pau-
cos annos ereptas, redditurũ
per Clementem, Petri, Pauli
& Clementis illius ſucceſſo-
rem; qui tãdem ſingulari Dei
erga nos beneficio, eamdem
ſedem regit ac moderatur. Ei
ſempiternũ decus apud Deum

ſanctam memoriam apud homines conciliabitis, vobis etiam perennem poſteritatis benedictionem aſſequemini. Lutetiæ Calend. Aprilis 1593.



DE SACRARVM ELECTIONVM IVRE ET NECESSITATE.

Ad Gallicanæ Ecclesiæ redintegrationem.

Cap. 1. De Nominationibus principum, earumque origine.



Lectiones esse iuris Euangelici, Apostolici, Ecclesiastici, necessarij, ordinarij atque perpetui paulò pòst suo loco, Spiritu Sancto afflante, demonstrabimus. Nec de eo vnquam quæstio orta est antè Christi millesimum Septuagesimum, dum Catholicam sedem Gregorius septimus, Germanicum Imperium Henricus quartus, Anglicum Gulielmus Nothus, Francicum Philippus pri- c. 4.

mus, Hispanicum Ferdinandus Magnus administrarent. Illa tempestate ad omnia Henrici istius Imperatoris scelera hoc vnum deesse videbatur, quo tanquam insigniore titulo nobilitaretur, *Primus electionũ sacrarũ raptor.* Tali dedicatore Nominationũ, vel potius Nundinationum regiarum ad Cathedras Ecclesiasticas gloriari possunt ac debent principes, qui sibi sacrilegè, illarum potestatem, iúsque contra ius, fas & libertatem Ecclesiasticam vendicant. Sanè qui Henricum istum nouit, facilè intelliget, non nisi ingens & prodigiosum aliquod malum in Religionem & Christianum Imperiũ potuisse importare, quem ne Caluinus quidẽ, impiorum alioqui & impietatum profanarum vehemens patronus & Ecclesiastici iuris impugnator implacabilis laudare vel excusare non

potuit. *Homo* (inquit) *leuis & temerarius, nullius consilij, magnæ audaciæ & vitæ dissolutæ. Nam cùm Episcopatus totius Germaniæ haberet in aula sua, partim venales, partim prædæ expositos, Hildebrandus* (Sic Gregorium 7. ex priore nomine contemptim vocat) *plausibilem prætextum arripuit, quo se vindicaret.* Cal. lib. 4. Instit. c. 11. sect. 13.

Semel excitata illa quæstio tot tantasque turbas toto occidente peperit, vt orbem Christianum penè perdiderit. Innumeralibus certè crucibus & calamitatibus subiecit, quas nimis operosum esset explicare, donec superante Ecclesia & se in libertatem pristinam vendicante, iniuria, vísq; istius Imperatoris & successoris post quinquagesimum annum non modò depulsa est, verum

etiam extincta penitus. Statim Tyranno occursum, reluctatum, & coactis crebris conciliis per vniuersas Latinas regiones declaratum, tales principum Nominationes nullo modo esse in Ecclesia ferendas, esse diuino iuri contumeliosas, esse simoniacas, esse hæreticas, esse sacrilegas, esse tyrānicas, esse libertati, prærogatiuis cælestibus, institutionibus & fundationibus Ecclesiarum contrarias; esse denique diuinis censuris & vi Politica ferroque exterminandas. Gregorius septimus cog. Hildebrandus, Roma in Synodum conuocauit decem & centum Episcoporum. [a] In ea Henricus non solum fulmine Apostolico percussus est, verum etiam quotquot ab ipso vel ab alijs laicis reciperent inuestituram. Sic illud sæculum istiusmodi Nominationes appellabat. [a] Quod, vniuersè etiam

a Vincētius in speculo lib. 26. c. 82. Crantzius lib. 5. hist. Sax. c. 6.

paulò antè Alexander 2. præcessor pronuntiauerat. Id enim esse simoniam tam in Dante, quàm in Accipiente. His vestigijs insistens Victor, qui Gregorio successerat b concilium habuit Beneuenti, ac in eo Henricum Imp. & Henrici occasione cæteros principes laicos præsumentes deferre sacerdotia, simulque clericos accipientes simoniacos declarauit excommunicauitque. c Eo enim exemplo tunc allecti principes vbique ferè gentium cœperant ius declarandorum Episcoporum & Abbatum sibi arrogare, cum hactenus partim penes Clerum, partim penes Monachos extitisset. d Vrbanus 2. Gallus ex Diœcesi Rhemensi pugnam persecutus, Gallicano concilio adegit Henricum Suessionum Episcopum episcopatu, quem à Philippo rege receperat, cedere, eumque Ec-

a) *Ca. per laicos 16. q. 7.*

b) *Chronicon Cassian. lib. 3. c. 71.*

c) *Polyd. hist. Ang. lib. 11. & de Inuent. lib. 4. c. 10.*

d) *An. 1080. Æmyl. lib. 3.*

e] 1094. clesiæ arbitrio reddere. [c] Sanctionem in Italia renouauit coacto Romæ Concilio, [a] quam deinde anno consequenti in nostræ Aluerniæ Claromontano, propter multitudinem Episcoporum, Abbatum, Principum, populorum inter Generalia recensito, rettulit. [b] Secundum quam mox Paschalis 2. Ludouicum Crassum Henriciana contra libertatem Gallicanam molientem diris ad sanitatem reduxit. Inde tandem Henricum cunctos penè principes suo exemplo corrumpentem atque ad beneficiorum distributiones inescantem per Moguntinũ, Coloniensem, Vvormaciensem præsules insignibus imperatoriis exuit, eáque Henrico filio cum Imperio tradidit. Cúmque postea certis artibus Henricus quintus à Paschali ius assignandorum episcopatuũ & Monasteriorum in suis ditio-

a) 1095. Matth. Paris.

b) Helmoldus in Chronicis Slauor. l. 32.

nibus impetrasset, nouæ turbæ exortæ sunt. Nam non iam VSVRPATIONIS argui poterat Imperator; quòd priuilegio Apostolico, cui hodie CONCORDATORVM (inter Franciscum Regem, & Leonem Pontificem) speciosum nomen inditum est, niteretur. Præualuit nihilominus Ecclesiæ authoritas & prima sententia, ac huiusmodi CONCORDATA a Concilium Lateranense a) iungeminum viuente adhuc Paschali rescidit, Imperatorem proscripsit, anathema extendit in reliquos principes, qui deinceps idem tentarent & aggrederentur. Illis annis, vt à Sigeberto proditum est, passim colligebantur Synodi, vt quicunque per laicam manum Sacerdotia adipisceretur, cœtu piorum excideret; quibus porrò Conuentio inter Paschalem & Henricum quintum, qua de nominandis

a) 1112. & 1116. *Platina, Abbas Vsperg. Crãtzius lib. 5. c. 34. & 37.*

Episcopis & Abbatibus conces-ſum fuerat priuilegium, Simonia-ca declarabatur. Necdum tamen hoc Tyrannis ſuperbis, & ambi-tioſis, cuncta ad ſeſe diuina hu-manáque trahere conantibus, ne-que Dei furorem cogitantibus perſuaderi ſatis poterat.

b) *Polyd. lib.* 11. *Ang.* [b] Nam Henricus Anglorum Rex à Guillelmo Notho tertius prætento iſto priuilegio vel ve-rius ſacrilegio declarandorum in ſuo regno Antiſtitum vti non de-ſtitit. Verùm Anſelmus Cantua-rienſis libertati Eccleſiæ patro-cinans recuſauit eos conſecra-re, quos iſti nominauerat, velut *Abortiuos Religionis filios* (ſic enim appellabat) & ſua conſtan-tia patientiáque extorſit, vt au-dito Paſchalis iudicio ab huiuſ-modi flagitiis abſtineret. Cùm autem cauſaretur de non reci-piendo Concilio Lateranenſi & Anſelmi diſciplina, à Paſchali

responsum tulit a *Quod te in hac* *Ibid. Polyd.*
dignitate spoliatum conquereris, quam Apostolorum Canones & Antiochena Synodus, decreta quoque Romanorum Pontificum, sub anathematis interdicto, ab omni saeculari remouent potestate, valde miramur. Nemo enim spoliatur ea re, qua semper extitit nudus, nec eius scimus expoliationem, cuius inuestituram nunquam agnouimus. Praeclarum profectò responsum & notatu dignissimũ. In primis Saecularem potestatem nunquam ante Paschalis aetatem id est, salutis anno 1100. (Praefinitè enim illo sedere coepit) hac Nominationum dignitate fuisse conuestitam; deinde illam Apostolorum Canonibus, Antiochena Synodo vetustissima: decretis Romanorum Pontificum, sub anathematis interdicto, fuisse ab-

omni sæculari potestate remotã Nec obstat quôd Carolus Magnus & aliqui Reges aliquando ea legantur vsi. Nam priuata sunt facta, de quibus vt de iure non respondet Iureconsultus. Certè aliqui impii ante Henricũ quartum illam occuparunt, vt
Sub an. 970 apud Græcos Nicephorus Phocas.
Zonar.to. 3. & lib. 1. Iuris Orient. Omni, inquit Zonaras, authoritate designandi Episcopos sibi vendicata edixit, ne quisquam iniussu suo in vllam Ecclesiam mitteretur. Sed fuit nebula celeriter transiens, quæ paulo post crudeli ipsius cæde per Zimiscem successorem dissipata est. Apud Latinos Otho Nicephorus istius tempore, vt cuius priuignam Theophaniam filio suo in matrimonium ambiuerit, & fortassis exemplo, certè sathanæ variis locis, varios Impp. afflantis spiritu. Verum is non simpliciter nominabat, sed operam tantùm dabat,

vt ab Ecclesiasticis suffragium facturis, ipse in consilium vel iudicium adhiberetur. Atque ita Landouardus Mudensis Episcopus, primus inter omnes Antecessores suos inuestituram (vt loquebantur:) & regalia de eius manu in suum dedecus & infortunium suscepisse fertur. Apud Anglos, quamquam id tempestate recentiore, exemplo istius Henrici Imperatoris Guillelmus secundum carnem & Spiritum Nothus regni Anglici inuasor, verùm per vim & tyrannicè, eique in faciem resistentibus probis. Quocircà eum Pontificium ditissimum sibi offerentem Guitmundus Auersanus cum probro repulit, negauitque se ab eo recepturum, quem excommunicatum intelligeret, Principes enim non posse sine electione canonica Dominico gregi pastores tuta conscientia, & saluis Ca-

Crantzius li. 3 Metrop. c. 33.

Eccl. hist. li. 5. c. 17. nonum censuris imponere. Extat Guitmundi epistola apud Rodericum Vitalem. Quantum ad pios Carolus Magnus, cui primum id licuisse legitur, non vsurpauit, sed priuilegio sibi ab Hadriano gratiosè concesso habuit. Priuilegium erat personale, non regale gentiléve, temporarium, non perpetuum; neque perpetuò duraturum, neq; in exemplum deinceps abiturum. Itaque vsus est eo parcius, & pastores post eius mortem creati sunt more consueto. Singulariter enim pro illa

Hadrianus dist. 63. an. 773. duntaxat vice robur habuit, ob principis erga Sedem Apostolicam meritum extraordinarium, singularémque virtutem cui tuto & ad tempus tanta, tamque diuina potestas, non reclamante

Ansegisus. clero, committi poterat. Eo verô priuilegio aut nō fuisse vsum, aut rariùs, ex ipsi⁹ cōstitutione liquet. *Episcopi per electionem Cleri &*

populi secundum statuta Canonum de propria Diœcesi, remota personarum acceptione & munerum, & ob vitæ meritum, & ob sapientiæ donum eligantur, vt & exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant. *C. Sacri canonum dist. 63.*

Quam constitutionem Ludouicus filius cog. Pius non modò totidem verbis renouauit, verum etiam propria tabella iuri Nominationum patri ab Hadriano concessarum renuntiauit. & electiones Clero retribuit. Incipit, EGO LVDOVICVS, apud Gratianum & Ansegisum. Piorum Principum alij priuilegium Pastores creandi & instituendi sibi aliquando, meritis iustisque causis, oblatum penitus repudiare maluerunt. Inter eos primas tenet Ludouicus nonus, qui Sancti elogium propter pietatem & virtutes meruit, Cum enim de eo di- *Gratian. dist. 92.*

ploma pontificium Legatus Romæ rediens attulisset, *Quod mea* (inquit) *negotia strenuè obieris laude. Quod mihi à Pontifice munus hoc attuleris non probo. Intelligo enim quanto cum periculo animæ meæ & regni id suscipe-rem. Ac protinus diploma in ignem coniecit.* Cui quadrat, quod cupientibus, vt se Sacerdotiorum saltem aliquorum collationibus immisceret, solebat respondere, *Sat mihi est coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam spiritualibus, rationem reddere.* Diuinissimè profectò. Nam hanc facultatem si semel in suam aulam intulisset, deinceps seruare studuissent successores, nec illam magis Ecclesiæ restituissent, quàm Synagogæ antiquam libertatem Pharao, cui frustrà canebat Moses; Redde populum Domini

Broimardus Cancell. in eius vita.

In virga directionis pag. 32.

Pharao, Hæc dicit Dominus, Dimitte filium meum Israël, vt seruiat mihi: Sine populum meum, vt sacrificet mihi liberè in deserto. Adeò semper præcedentium honorum atque opum, potiùs quàm morum tenax est posteritas. Sed ad nostros infausti ominis & nominis Henricos Impp. reuertamur. Calixtus 2. in Concilio Rhemensi Henricum quintum quarti malorum istorum fontis filium ius inuestituræ per fraudem à Paschali sibi quæsitum tueri cupientem, diris Apostolicis fregit, adegitque, illud vt planè desereret & Clero simpliciter restitueret. Literæ renunciationis sic incipiũt apud Abbatem Vspergẽsem, *In nomine S. Trinitatis & indiuiduæ. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator, Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac Domini Pa-*

Exod. 4. & 5.

Platina.

In Chronico Hirsaug. *pæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & SS. Apostolis Petro & Paulo, sanctæque Ecclesiæ Catholicæ omnem inuestituram, & concedo in omnibus Ecclesijs canonicam fieri electionem & liberã cõsecrationem.*

Quantum Germania deuincta es Romanis Pontificibus; Quantum eos parentum patronorúmque loco colere debes, à quibus sacrorum rituum religionem contra impios, Sacerdotiorum dignitatem contra profanos, libertatem contra Tyrannos, securitatem contra honorum opúmque hostes fortiter defensam animaduertis; Nam nisi tuam in Spiritualibus authoritatem contra istos generosè defendissent, nunc non gauderes antiquis pristinísque institutis, sed captiuam, seruitutę afflictam, sub iugo profanō gementem haberes, vt nos miseri infœli-

céſque Galli, Eccleſiam, ac aquam tuam, obſtupeſcente Hieremia, pecuniis bibere, ligna tua pretio tibi comparare cogereris. Benedictus Deus, qui fœliciter omnia in tuam ſalutem & dignitatem vertit, qui prouidentiſſimè futuris in te hæreſibus ad hunc modum proſpexit, ne per Nominationes factionéſque Principum, Sacerdotia, quæ habes ampliſſima & religioſiſſima, in manus Lutheranorum, Caluinitarúmque tandem aliquando delaberentur. Nam poſt annos plus minus quinquaginta, ex quo inter Gregorium ſeptimum & Henricum quartum ingens diſcordia emerſerat, vniuerſum penè Occidentem bellis tum externis, tum internis depaſta, pax inter Eccleſiam & Imperium facta eſt, ea lege, vt in publicis Vvormacenſibus comitiis, electionibus Imperator cederet, tibique eas liberas ſineret. Cui

Lam. 5.

Tyrius belli lib. 1. c. 13.

Pandulphus.

Piſanus in vita Calixti.

iudicio reliqui postea Principes acquieuerunt, ac certatim prætentis istis iuribus, veriùs autem iniuriis, renuntiarunt. Inter cæteros Hungariæ, & Angliæ reges. Franciæ, non adiicio, quoniam hi perpetuò non solùm abhorruerunt ab istiusmodi Sacrorũ profanationibus, verumetiam Pontificibus se coniunxerunt ad libertatem authoritatémque Cleri tuendam, tanta vi, tam incredibili animorum contentione, vt pro eo tamquam pro Religione bella grauissima suscipere non dubitarint aduersus aliarum nationum Reges, præsertim Imperatores Germanicos, illosque ad audiendam Ecclesiam suis armis & potentia compellere. Quin nec vllis Tyrannorum externorum exemplis, vllis priuatorum commodorum inescationibus, adduci vnquam ante Franciscum potuerunt, vt in eo apertam vim Clero

Mart. Capell. Polyd. lib. 11. Aug.

Franci Reges defensiones electionum. Platina.

afferrent, etiam quando propria ipsorum lucra id postulare videbantur. Quare & Salutis 1160. Petrus Longobardus cognomento Magister Sententiarum, salutatus est Episcopus Parisiensis, nullas turbas ciente Philippo Archidiacono Ludouici Regis fratre, qui alioqui à dimidia Canonicorum parte lectus fuerat. Tam piæ causæ & institutis non defuerunt Franciæ Episcopi. Trecis conuenerunt, Philippo primo regnante, & Rhemis fauente Ludouico Crasso contra Henricum quintum: vt laici collatores ab Ecclesia proscripti decernerentur. Quod totidem verbis sanctè decretum est & executioni mandatum serio adeò & cōstanter, vt ad amplexandam pragmaticam sanctionem in Cōcilio Basiliensi deinceps editam, omnium promptum fuerit studium ac voluntas. Quoniam enim Electionibus ab ini-

Æmyl. in Ludou. Iuniore

An. 1109. Nangiat. 1119.

tio in Gallia receptis vsurpatisque congruebat, à Carolo septimo, & vniuersis regni ordinibus apud Biturigas 1438. probata est, moxque in Senatu Parisiensi 3. Idus Iulij publicata, vt quod anteà maiorum traditione, moribus, institutis seruabamus, iam literis, scriptisque consignatum teneremus. Non disputo, an illi omnia consentiant sanctæ Ro. Ecclesiæ normis & iuribus, annon meritò Eugenius quartus, Nicolaus 5. Calixtus 3. Pius 2. eam improbarint, annon aliqua habeat emollienda, & ad æquitatis suauiorem regulam dirigenda. Tantùm aio partem illam, quæ Electiones stabilit, firmátque, esse sanctissimam, diuinissimam, prorsus in Gallia nostra renouandam, reuocandam, & sanctissimis Patrum sanctionibus restituendam: si Ecclesiam in ea saluam, à fœdis profanisque ruinis tutam ac libe-

ratam volumus. Obtineant modò καὶ ἐκρατείτω τὰ ἀρχαῖα sedis Apostolicæ vt Niceni patres dixêre, quæ illa parum scitè sanctéque missa faciebat. Nempe Electio Electum ad Pontificem transmittat, Electus à Pontifice confirmationem canonicam assequatur, præstet denique vniuersa, quæ Canonum sancta disciplina, iure & vsu legitimo summis Pontificibus, eorúmque sacro Senatui debentur. Vigeat Nicenus peruetustus Canon docens Romano pontificiam ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, ab ipso principio, haud dubiè Apostolico, hanc fuisse consuetudinem, vt haberet singularem potestatem in prouincias Occidentis & ipsorum Episcopis peculiari quadam ratione præesset. Quis enim debeat dubitare eos esse tam antiquis legibus agnoscendos, adeundos, de Ecclesiarum substantia honorandos, cum etiam veteris Can. 6.

Nouell. Const. 115. apud Iulianum Patris.

legis instituto populum Leuitæ, Leuitas summi sacerdotes decumarent? Ac eis præstanda: quæ antiquissimorum Romanorum Pontificum & Imperatorum ætate præstabantur, vt recens Electi & consecrati Episcopi summo Pontifici, cæterisque quatuor summis Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Theopolitano, id est, Antiocheno, & Hierosolymitano tributa, iuxta redituum proportionem, penderent, quæ temporis progressu Annatarum nomen sortita sunt, tunc verò Cathedratica vocabantur. Sic enim in Nouellis Iustinianeis his verbis, multòque pluribus legimus. Verùm de hoc aliàs, quo constituto honos, officium, obsequium Apostolico Throno debitum prolixè cumulatéque præstabitur & simul vigebit Pragmaticæ illa Canonica disciplina, per quam perficiebantur nostris ca-

thedris viri cùm literarum laude celebres, tùm vitæ sanctitate conspicui, quales nullos adhuc nobis exhibuit, sed nec proprio motu exhibere possit spuria ista Nominationum Regiarum via,

Inuecta iratis superis, geniòque sinistro.

Cum florente Pragmatica plerique ob singularem sanctimoniam & auream castitatem fato functi miraculis claruerint, exempli gratia Michaël Andegauensis Episcopus, alter Pictauensis, tertius Arelatensis Archiepiscopus, alijque complures. Inde Francorum regnum benedictionibus cælestibus affluxerit, Hæreticos in suo sinu non viderit, rerum omnium copia & vbertate redundarit, prosperiore fortuna vsum fuerit, tanta denique fœlicitate vt Aquitania & Normania prouinciæ amplissimæ atque

Pictauēsis.

ditiſſimæ ſceptri Francici hoſtes ſempiternos Anglos diuiniſſimè euomuerint, ac vltra barbarum mare expulerint. Quapropter Palladium Franciæ ſemper habita fuit & nominata, cúmque de ea abroganda inter coruos aulicos fauore Regum opibus Eccleſiæ inhiantes, agitaretur, Chriſti 1461. & Ludouicus vndecimus, Galliæ certè Tyrannus, non Rex, hoc in primis cuperet, datis literis Turonis, regni ſui primo 27. Nouembris, fortiter Senatus Pariſienſis reſtitit, defenſionem pro ea Tyranno obtulit, eiuſque ſtudijs & conatibus oppoſuit. Nebula ſic diſſipata lux ſplendorque Eccleſiæ permanauit ad annum 1516. quo Franciſcus Rex Electiones ad ſe rapuit penitus, ſcelus in ſuam gentem inferés, quod non potuit expiari, niſi totius poſteritatis eius prodigioſo interitu atque pernicie.

Budæus.

Gagu. lib. 10.

Cap. 2. de proprijs Nominationum notis ac fructibus.

FRanciscus ergo sublatis Electionibus nominationes induxit, id est, pestem certissimam in Regnum vniuersum, priuatim verò in suam familiam. Nam profectò Nominationes Principum sunt hæresis Henriciana, sunt hæresis Simoniaca, à tot Concilijs & Romanis Pontificibus perenni quinquaginta annorum tractu sub his nominibus damnata, vt suprà ostensum est.

Abbas Vspergens.
Naucl. vol. 2. generat. 30

2.

Sunt execratio Apostolica, his Græcis verbis expressa, εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες. Quam renouarunt & secutæ sunt innumerabiles Synodi. Inter eas Lateranensis sub Innocentio III. Quisquis electioni de se factæ

Can. Apost. 30.

per sæcularis potestatis abusum, consentire præsumpserit contra Canonum libertatem, electionis commodo careat & ineligibilis fiat.

3.

Sunt profana nouitas, quales vitandas Apostolus præcipit, contra Ecclesiasticum ius importata per Imperatorum Germanicorum scelestissimum Henricum, tentata per Græcorum contaminatissimum Nicephorum Phocam, diuinitus perpetuo vnius carcere, sæua alterius cæde vindicata.

4.

Sunt sacrilegium multiplex: Sacrilegum est pias fundationes interuertere, Fidelium vota & oblationes aliò transferre, in piorum testamenta irrumpere, aliter extremam Sanctorum voluntatem exequi quàm ipsi testamento cauerint. Iam qui de-

dicarunt Ecclesias,qui dotarunt. Monasteria,ea lege dedicarunt, dotarúntque illic vt in perpetuũ vigeret disciplina Ecclesiastica atque Monastica, vt leges à D. Benedicto & aliis Ordinum Auctoribus positæ ad consummationem vsque sæculi seruarentur. Inter quas potissima est Abbatum & præsulum electio. Istud violare est terminos à patribus positos, diserta Scripturæ detestatione transgredi, est peccare in diuini iuris non contemnendam partem: Sanctarum enim fundationum præstatio de iure diuino est, cum illæ numerentur in votis, de quibus scriptura toties, Quod votum fuerit redde; ac in Anathematis de quibus eadem sæpius, Quicquid semel fuerit Domino consecratum, *Leu. 27.* Sanctum Sanctorum erit Domino & mutari non poterit. *Leu. 27.* Hinc illa ad Principes Ezechielis sta- *Ezec. 46.*

tum populi Christiani describentis Apostrophe, Ne depopulamini vltra Principes populum meum, sed terram relinquatis domui Israël secundum ritus suos. Hæc dicit Dominus Deus. Sufficiat vobis Principes Israël, iniquitatem & violentiam intermittite, iudicium & iustitiam facite, Separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus. Sacrilegum præterea est authoritatem quam Dominus non dedit sibi vendicare. Sacrilegum contra Dei ordinationem laicum siue principem siue Magistratum sibi arrogare Cleri partes atque officium. Sacrilegum contrectare rem sacratam inuitis Dominis. Domini Sacrarum Electionum legitimi sunt Ecclesiastici, quibus inuitis sibi istas rapuit Franciscus. Nam fremente

Til. in Chronic. Clero, inquit Tilius repugnante populo, appellante Parisiensi

vniuersitate, prouocante Senatu, gementibus cunctis probis doctisque. Adde esse profanius sceleratiúsque Laicos sibi potestatem assumere vocandi ad Ministeria Ecclesiastica, quàm cum Saule sacrificare, non expectato Samuele, quàm cum Oza extendere manum suam ad Arcam & tenere eam, quàm cum Hieroboam rege Israël renunciare Sacerdotes Mosaicos, de populi extremis, qui non erant de filijs Leui, quàm cum Ozia rege Iuda capere Thuribulum & conari adolere incensum super altare Thymiamatis, quàm cum Gedeone iudice ex auro, purpura & ornamentis Madianiticis conficere sacrum Ephod, & ponere in profana sua familia. Hoc enim est facinus Dathan & Abirom laicorum Principum de tribu Ruben, qui susceperant Chore pontificem creare, Creationem

1. Reg. 13.
2. Reg. 6.
3. Reg. 12.
4. Reg. 15.
Iud. 8.
Num. 16.

Nominationes principum, sũt nominationes Datham & Abirom ad Pontificatum Mosaicum.

Mosi pastori Ecclesiastico & legitimo adimere. Ex quo acerbius & prodigiosius quàm superiores à Domino puniti sunt. Si consueta hominum morte (inquit Moses) interierint & visitati fuerint plaga, qua cæteri visitari solent, non misit me Dominus. Sin rem nouam fecerit Dominus vt aperiens terra os suum, deglutiat eos & omnia, quæ ad illos pertinent, scietis quòd blasphemauerint dominum.

5.

Via ad stabiliendam hæresin Anglicanam & constituendos Reges, Ecclesiæ Gallicanæ capita, atque hæreditariò possidendum Sanctuarium Domini. Inde enim flagitiosæ istæ voces acribus flammis castigãdæ manarũt. *Regalium ius non solum consistit in distributione Beneficiorum, sed etiam in perceptione fructuum.*

Duarenus li. 3. de Eccl. minist. c. 11.

Nam Princeps, quamdiu vacat Episcopatus sedes, prædiorum omnium administrationem suscipit, iisque arbitrio suo vtitur ac fruitur. Sed nec hic impietatis subsistũt, vlterius enim progressi, ne ordinationem quidem Clericorum siue χειροτονίαν purè Sacramentalem, spiritualem, mysticam iuri potestatiue Ecclesiæ simpliciter sinunt, vt qui illam non præbeant Episcopis, *nisi ex benignitate Regia.* Verba istorum sunt: *In Regalibus exercendis Rex Francorum pro sua benignitate* (audis) *nullo modo sese miscet ordinationibus Clericorum, nec vllas ibi partes vsurpat aduersus Episcopos.* Cuiusmodi assertio è spiritu hæretico proficiscitur. Illa quippe est, quam duobus libris aduersus capita disputationis Lipsicæ An- Duar. ibid.

dreæ Freyhub & tribus aduersum nugatorias De Ecclesia & ordinationibus Ecclesiæ Antonij Sadeel is cauillationes persequitur & expugnat Franc. Turrianus societatis Iesu Theologus nũquam satis laudatus. Quorum sunt vocationes ad ministeria Ecclesiæ, eorundem esse ordinationes. Proinde ad quos magistratus politicos & populos pertinet vocare Ministros Ecclesiæ (pertinere autem ad omnes) eorum esse illos ordinare, & quidem manu imposita, vt ait
Act. 6. 7. 13. 14. 15. 18. 19. 1. Tim. 4. & 5. 2. Tim. 1. Apostolus. Manuum autem istam impositionem Apostolicam ne mystica & charismatis cuiusdam efficax, aut aliquid supra ciuilem facultatem complecti videatur, interpretantur ridiculè, immò etiam profanè, manus popularis erectionem siue eleuationem, qua vocatus lectúsve ad ministerium declaretur idoneus

functioni, cùm Apostolus eam sibi tribuat, non populo. Resuscita gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum. Nec vacant patronis, qui dum se egregiè Catholicos censeri volunt, vel priuilegia exigua semel Tyrannis concessa, aut tolerata, in iura regalia primùm transforment, deinde ad pontificia omnia munera extendant, vt iam apud eos;

Planè idem sit rex hominũ Christique sacerdos.

Amputandæ à radice impietatis modus nullus ocurrit promptior, neque compendiosior, quàm vt in hoc interregno, in hac rerum perturbatione pontifex Concordata rescindat, Ecclesiam Gallicanam liberam, & ab Alienorum præsumptionibus securam esse iubeat, Ecclesiasticis Canonibus vtentem, ve-

tuſtis ſuis legibus & ſanctionibus viuentem velit, priſtinis iuribus & ritibus reſtituat, è captiuitate hac pluſquàm Babylonica ſeptuaginta prope annorum eruat ac liberet. Inſtat enim ſeptuageſimus annus, ex quo illa antiquitatis veteribus inſtitutis, duriſsima Nominationum ſeruitute premitur & fatiſcit. Lamentantis denique pro CHRISTI ciuitate vatis miſereatur *Verſa eſt hæreditas noſtra ad alienos*. Alienos enim ſiue

Hebræi etiam vocant populi partem à Leuitica diſtinctam, quos Laicos appellamus, vt duriore vocabulo Pagani profanos καὶ βεβήλους.

Exod. 29. v. 13. Leuit. 21. v. 10. 12. 13, 6.

Via ad minuenda iura & auctoritatem Apoſtolicæ ſedis. Nam Nominati paulo Aulicis chariores aut Principibus notiores non ſolent curare de ſummi Pontificis confirmatione, dum

per œconomatus Regios ac alias fraudes aulicis notas opibus Episcopatuum & Cœnobiorum liberè, tutò, minori labore & sumptu frui possunt. Quaobrem non immeritò neque tenere Cardinalis Gondius in Vrbem, nouissimam profectionem adornauit, apud Pontificem conquesturus & cum stomacho rationem redditurus de quadraginta Episcopatibus vacantibus, deque cætero deplorato totius Ecclesiæ Gallicanæ statu. Certo nouit, vt in aula diutissimè versatus, & propè educatus, istorum omnium artes, causas, atque rationes, vt illas possit clarè Pontifici explicare & ad prouidendum diligenter extimulare, si modo Clemens Reformationis tantopere studiosus & ad eam concitatissimè currens, stimulis indiget. Isti autem numero ab eo tempore tres quatuòrve siue vacantes siue profa-

nis deuotos ascriptosque adiicere poterit, præter innumera Monasteria mulieribus addicta, militibus, coniugibus, Epicureis aliisque nullo Sacrorum initio, nullo Ecclesiastico charactere, nisi fortasse Tonsura, insignitis.

7

Via ad Simonias, & Fiducias. Princeps enim solet Sacrosanctas potestates præmii, mercedis, dotis, fauoris, officii cuiuscũque, recti prauique nomine distribuere, immò verò obtrudere, suis Antinois, Epicureis, Gnathonibus, voluptatum & exactionũ inuentoribus, lenonibus, meretricibus, creditoribus; ne addam Atheos, hæreticos Terræfilios obscurissimos & abiectissimos, quos neque Generis nobilitas, neque virtus, neque doctrina, neq; vlli pro Christo & Ecclesia labores nobilitant; sed vel lasciua poësis & Rythmi, vel consilia scelerata re-

regnóque peſtilentia, vel officia flagitioſa, vel vitæ turpitudo commendat. Earum autem cum Canonicum titulum ex iurium impedimentis tutò ſuſcipere nequeant, partim vendere, partim Fiduciarijs committere, partim per Oeconomos abſumere coguntur: ſicque nobis de cœlo furorem & indignationem & immiſſiones per Angelos malos eliciunt. Non mirum igitur ſi tot in numerato habeamus fiduciarios, tot vanis, turpibus, prauis obſequijs eò prouectos. Tot Fœminas Dotis nomine per Monaſteria maritis collocatas. Tam paucos Atheiſmi vel Hæreſis, vel Epicureiſmi ſuſpitione vacuos. Tam paucos, qui ſe ſerio purgare queant de Simonia, ſiue à Manu, ſiue à Lingua, ſiue ab obſequio. Totuplex enim Simoniæ labes à Theologis & ſcriptoribus de Officijs, ſiue caſibus conſcientiæ ſtatuitur.

8.

Via ad effrænem Polygamiam à tot patribus damnatam, à tot Concilijs, seorsum Tridentino cum detestatione improbatam. Effusam dico Sacerdotiorum patibilium simul & impatibilium coacernationem. Heterogeneam Regularium & Irregularium permixtionem, immoderatam & inexplebilem Pinnaculorum seu Pastophoriorum multitudinem, quæ alia aliis superposita ventrem faciunt, seque tandem mutuo subuertunt, ac fœdas tum Spirituarias, tum temporarias parietinas generant. Addo grauem illam præuaricationem in vetustum Canonem à S. S. Nicenis patribus consecratum REGVLARIA REGVLARIBVS, SÆCVLARIA SÆCVLARIBVS, qui per vniuersas Orientis, Septentrionis, Meridiei Ecclesias huc vsque viget, piè inuiolatéque conseruatur, & in

exemplari Arabico Niceni Concilij quinquagesimo quarto loco recensetur, in sola Latina periit atque extinctus est, quæ illum tamen constantius pro sua in reliquas omnes authoritate, & principatu colere, ac tandiu duraturas hæreses, impietatêsque quamdiu Commendæ durabunt, cernere debebat.

9.

Via ad profanandam Ecclesiam, sacrilegijs opplendam, in perpetuum captiuandam, dum Pastores ab istis creati, dicantur & sunt PROCERVM CREATVRÆ, dum sunt parati ad quodlibet obsequium, adulationem, assensum, prædiorum & rerum Ecclesiasticarum distractionem, alienationem, dimidiationem, decimationem, &c. Dum sunt proiecti ad omnem dissimulationem iniuriarum Christi ouilibus illatarum, canes muti, non audentes latrare, bouem cum Demosthene in lin-

2.Timo.4. gua habentes, contra præcepta Apoſtoli; Prædica verbum, inſta opportunè, importunê. Argue, obſecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Increpa illos
Tit.1. duriter, vt ſani ſint in fide, nec attendant Iudaicis fabulis & mandatis hæreticorum auerſantium ſe
Eſ. 1. à veritate. Contra vociferationes propheticas, Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei veſtri
Ezech. 21. populus Gomorrhæ. Tu autem prophane, impie dux Iſraël, cuius veniet dies tempore iniquitatis præfinita. Contra poteſtatem ſibi diuinitus creditam, quam non audent in Creatores ſuos exerere, cenſuris ſæuiendo, ad officium vſu cœleſtium Clauium cogendo, Ambroſium, Chryſoſtomum, Germanum, Stephanum, Epiſcopos Pariſienſes imitádo, denique cau-
Baſil. ſam iuſti gemitus S.S. Baſilii Me-
Epiſt. 69. letii, Euſebii apud Italiæ & Galliæ

Episcopos vitando. *Canonum exacta obseruatio pessum iuit, multa peccandi libertas patet. Nam qui fauore humano ad Pontificium peruenerunt, eodem ipso fauoris gratiam implent. Iustum iudicium perijt, quisque cordis suo desiderio ambulat, malicia immodica, populi immorigeri, præfecti non liberè loquuntur. Qui enim per homines sibiipsis potestatem acquisiuerunt serui sunt eorum, quorum fauore adiuti sunt. Euersæ sunt pietatis doctrinæ confusa solutáque pietatis vincula; Dominandi libido, eorum qui non timent dominum, præfecturas inuasit, & in propatulo, præmium impietatis præfatura proposita est. Qui in grauiorem blasphemiam relapsus est, in populi episcopatu præ aliis deligitur. Perit grauitas Pontificum. Pastores cum*

ſcientia gregem domini dereliquerunt, dum præfecti diſtributiones pauperem in proprios vſus donáque ſemper inſumunt. Et hac rident infideles, imbecilles fluctuant, fides in ambiguo eſt, ignorantia animis offunditur, omnis blaſphema lingua diſſoluta eſt, profanata ſunt ſacra.

10.

Ro. 10. Via ad obruendam Fundatorum memoriam, quæ debet verſari in benedictione, & inducendas aduerſus illorum trophæa impoſturas & mendacia. Inde enim contendunt Palatini pinguiores Præſulatus eſſe de Regum Fundatione & Dotationibus, cùm contrà ex ſuo nulla illi plenè fundauerint, & ſi qua fundauerunt, ex ſacrilegiis & aliarum Eccleſiarum ſpolijs id fecerunt. In quo exemplum Hyrcani Sadducæi, Herodîſque ſemi-

pagani secuti sunt, qui nescio quot Talentorum centenarios è Sancto Dauidis sepulchro eruentes, & sacrum Templi Gazophylacium expilantes pauca pietatis monumenta Hierosolymis struxerunt, vt à se turpissimam Sacrilegij notam quoquo modo depellerent. Quod præcipuum est tamen fundamentum Iurium, quæ ipsi falso æquè ac impiè REGALIA in sanctorum præiudicium nominant. Tam vanum & supinum, vt per inductionem singulorum Testamentorum è Chronico Hirsaugensi, opere Bruscij de Monasterijs, Theatro conuersionis Gentium, & similibus historijs, nullo negotio euerti queat. Episcopatus opibus & rebus florentes reges ipsos Christianos vniuersos antecesserunt. Pinguiora quæque Monasteria, si nonnulla Recentiorum Ordinum excipias, sunt Regibus Catholicis antiquiora &

Iosephus Hebrais.

ab Ecclesiasticis paulo religiosioribus constructa. Qualia ferè sunt in Belgio & Burgundia. Exemplum esto monasterium S. Amandi in Belgio ab ipsomet S. Amando constructum S. Germani Antissiodorensis in Burg. ab ipsomet S. Germano excitatum, Valentiniano III. Imperante, priusquam in Gallia vigeret Regium nomen, auctum deinde ex priuatorum collationibus & Eleemosynis, perductum verò ad hodiernum statum, Parsimoniæ, Oeconomiæ & frugalitatis Monachorum communiter viuentium incrementis, vti liquet ex eiusdem S. Germani vita á Constantio Episcôpo conscripta & ab Heyrico Antissiodorensi Monacho Caroli Calui tempore, versibus Heroicis expressa. De cæteris D. Benedicti idem pene iudicium.

II

Via ad captandum votum mor-

tis alienæ, vt ſæpe vidimus, ſæpius auditione accepimus per Principum amaſios & miniſterianos procuratam necem, aut tentatam potionationem Paſtorum ſuis terris fundíſque vicinorum, quò eorum Abbatijs vel Epiſcopatibus, vel Prioratibus ſuccederent, quorum reſeruationem Regiorum commentarienſium chirographis probè firmatam iam in ſuis haberent ſcrinijs.

11.

Via certiſſima & tritiſſima ad Dei Domos in temporalibus & ſpiritualibus funditus labefactandas. Ex ea enim tempeſtate concidit puritas Canonica, diſciplina Monaſtica eneruata eſt, literarum notitia exulat, laus diuina ſilet, pietas interius exteriuſque nulla eſt. Sancta olim Cœnobia multitudine Pſallentium & diuinis ſcripturis vacantium, exhauſta ſunt ſuis habitatoribus. Nullos

Religioſos habent paucos Monachos neceſsariò corruptiſsimos, dum ipſos ſe fingere oportet ad ſuorum Paſtorum normam, qui Sardanapalo corruptiores & lupi ad lucrum,eſcam,Venerem, prædam duntaxat attenti, animas non curant. Secretaria vacant ornamentis,libris Eccleſiaſticis, calicibus, vaſis, ſacris vtenſilibus, linteis,cunctis denique ad rem diuinam pertinentibus. Ædificia & tecta ſolo euerſa vel euerſioni proxima. Redditus diſtracti & diuenditi. Chartæ priuilegiorum & prouentuum ex tabularijs ſurreptæ Clauſtra, Dormitoria, Capitula, Refectoria, Pinnacula, atque adeo templa ipſa ventis perflata, pluuijs peruia,rimis fatiſcentia. Villæ deſertæ, neglectæ, ruinis ſtupendæ. Eleemoſynæ obſoletæ,quæ ſtatis diebus & horis, pro oſtijs Cœnobiorum, celebrari ſolitæ erant & vniuerſam viciniam alere. Bi-

bliothecæ, vnicus olim Religiosæ & humanioris vitæ thesaurus, direptæ, dilaceratæ, butyrarijs & alijs turpioribus vsibus expositæ. Hospitia pauperum in stabula canum, alitum, equorum versa: Hospitum domicilia facta luporum lupa rúmque prostibula. Vniuersa vno Christi verbo, Spelunca latronum. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum vt plorem die ac nocte profanationes populi mei. Quis constituet me in solitudine, vt derelinquam populum meum, recedam ab eo, ne videam contaminationem Sanctuariorum eius.

Hier. 9.

13.

Via ad hæresim in Ecclesia perpetuandam, & in dies magis ac magis propagandam. Anno 1516 Concordata ad antiquandam Electionum sanctitatem introducta, fremente Clero, prouocante Se-

Til. in Chro. Carion.

natu, Academia turba excitante, gementibus cunctis probis doctisque 1517. id est, anno proximè sequenti Lutherus emersit, è quo innumerabilia exorta sunt hæreseon monstra. Pulchra successio & nostris factis digna. Experientia docet. Nam quotquot pastoratus suos, Regum delatione, deinceps sunt consecuti (paucos semper excipio,

quos æquus amauit,
Christus, & eripuit de perditionis abysso) magis fuere aulicis, politicisque, .i.perditis ac profanis moribus notabiles, quàm Ecclesiasticis Catholicisque virtutibus præditi. Quod sanè Gregorius Childeberto regi quondam prædixerat, proinde videret, ne quis in suo regno per Laicos ad sacrosanctos honores proueheretur. Illinc causam futurarum in Gallia hæreseon manaturam, ac

Greg. lib. 4. Ep. 8.

tamdiu

tamdiu in ea duraturas hæreses, quamdiu illa viguisset.

14.

Via indubitata ad Neophytos siue Aulicos & Curiales in Dei templa introducendos, contra præceptum Apostoli, non Neophytum ne in superbiam elatus, incidat in iudicium diaboli. Ita hunc locum intellexerunt Veteres & opposuerunt ijs, qui à statu aulico ad Præsulatus conuolant. Qui enim magis Neophyti siue Nouitij esse ac dici possunt, quàm qui è Palatina vita ad Sacrorum professionem de repente prodeunt. Adulterini & abortiui præsules sunt, eoque munere, quod profitentur indigni, qui cum nihil prius ad summum sacerdotium attulerint, nullas ærumnas, virtutis causa, pertulerint, discipuli simul & magistri pietatis creantur, aliósque ante purgant, quàm ipsi pur-

1. Timo 3.

Greg. lib. 4. Epist. 95. & lib. 7. ep. 5. Leo 9. epist. ad Michaelẽ Const. & Leonem Acrid. c. 30.

Nazian. in Athanasio & in Apolog.

gati fuerint. Heri ſacrilegi, hodie ſacerdotes. Heri profani, hodie ſacrorum antiſtites, veteres vitio, pietate noui (quod gratiæ fauoris humani, nõ ſpiritus opus eſt), quorum non mores dignitati, ſed dignitas moribus fidem aſtruit, ordine admodum præpoſtero, quoniam plura pro ſuis, quàm pro populi peccatis ſacrificia debent. Querimoniam Præceptoris Nazianzeni Hieronymus diſcipulus perſequitur. Apertum eſt & euidens præceptum Pauli, Non Neophytum, & tamen ambitio non cuſtodit. Heri Catechumenus, hodie pontifex; heri in Amphiteatro; hodie in Eccleſia, veſpere in circo; mane in Altari, dudum fautor hiſtrionum, nunc Virginum conſecrator. Momentaneus ſacerdos, qui non ſaltu ſed gradatim & Canonico interuallo, non à laica conuerſatione, ſed à multorum

Hiero. ad Oceanum & lib. 1. contr. Pelag.

Leo vbi ſupra.

annorum probatione, ad Episcopatus culmen peruenire debuerat, ne aduersaretur Apostolo; Et hi probentur primùm, deinde ministrent, nullum crimen habentes. Vsque adeò rationi consentaneum, vt legibus etiam imperatoriis cautum sit, *Ne quis è Ministerianis fiat Episcopus*, Et, *ne quis curialis fiat Episcopus.* Quam legem à Mauritio Imperatore relatam, renouatámque laudat D. Gregorius Epistola ad eundem, & Sanctissimi Pontifices perpetuò seruare conati sũt. Ante leges quidem Imperatorias Innocentius primus Magni Augustini æqualis Victricium Rhothomagensem docens. Qui semel militiæ balteo vsi fuerint, vel aulicam vitam exercuerint, ne quidam ad Clericatum, propter Sacrorum dignitatem & reuerentiam è Nicena Synodo de-

1. Tim.3.

In nou. II. const.

Cap. 2. & 11.

Leo epist. ad Petrum. bere admitti. Post verò, Leo nonus ad Petrum Antiochiæ electum, Noueris nos ipsam tuam promotionem ea lege approbare, si non Neophytus aut Curialis, aut Digamus, vel pretio aut quolibet alio modo sacris canonibus contrario (quod absit) obtinuisti. Et apud Græcos Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenis interpretans octogesimum Apostolorum Canonem, eúmque illustrans è Decimo Sardicensis perantiquæ Synodi, quo non solum Aulici & Palatini è sacrosanctis honoribus arcentur, verum etiam Episcopi in aulas & Palatia Principùm citra necessitatem Ecclesiasticâ proficisci prohibentur. Alioqui cum eis non magis esse communicandum, quàm cum Ecclesiæ desertoribus vel hostibus. Quò pertinet vetus veteris Ecclesiæ verbum, *Quid Episcopis,*

cum Palatio? Quid Pastoribus cum Cæsaribus: Quam Ecclesiæ vocem Donatistæ nimirum aulici & Palatini nostris Africanis Episcopis inuidiosè obijciebāt, cum tamen, vt respondent ac docent Optatus & Augustinus, minimè omnium essent aulici, & inuiti ad aulas non minus, quàm ad Castra traherentur. Genius quidem est hæreticorum mentiri, & sibi quod congruit, Catholicis tribuere, verum prospiciendum, ne probabilem occasionem quicquam obiiciendi nanciscantur. Quod profectò fieri non poterit, quandiu Reges cum facultate sacra Ministeria deferendi tolerabuntur. Tandiu enim, vt maiores nostri tempore Chilperici experti sunt, ea vtentur in sua suorúmque commoda, non curata Religione, istius Tyranni exemplum sequentes, de quo

Opt. lib. 1. & 3.

Aimon. lib. 3. c. 57. p. 234. Aimonius scriptum reliquit. *Eius tempore pauci Clerici ad Episcopatum sunt promoti, ipse Neophytus Ecclesias contradēte.*

15.

Via ad erroris damnanda concilia, & quidem œcumenica, & vniuersum ius canonicum. Pleni sunt libri Concilorum & Canonum Anathematis & diris aduersus istas per proceres laicos promotiones. Concilium Constātinopolitanum inter octo prima Oecumenica, apud Græcos Octauum precipuè ad argumenti huius determinationem congregatum est, tandemque conclusit Photium aulicum, tanquam inuasorem Ecclesiæ Constantinop. ad quam Michaelis Imp. beneficio euectus fuerat, esse deponendum. Sessione eius quarta, quinta, sexta lectæ sunt quatuor Nicolai epistolæ, ex-

eusse; probatæ. Prima ad Michaelem Imp. missa per Rhodoaldum & Zachariam Episcopos, de Laicis non promouendis ad Pontificia ex tempore sed per suos gradus. Sardicense enim Concilium vetustate ipsa venerandum canone decimo tertio vetuisse, ne de Laicis eligerentur Antistites. Summos Pontifices hanc sententiam perpetuo fuisse secutos. Inter eos Cælestinum, ætate Hieronymi & Augustini canone 21. suæ sanctionis, Leonem magnum de Augustini Schola cap. 33. suorum decretorum, Gelasium similiter Magnum non solum Episcopos de Laicis vel per Laicos fieri prohibuisse, verum etiam Presbyteros, capite decretorum suorum tertio. Altera eiusdem Nicolai ad Photium, qui non sine exemplo Nectarij, Tharasij, Ambrosij ex aulico se factum

pontificem oſtendebat. Non eſſe ſimile, quoniam Ambroſius non inſtinctu Hominum, ſed diuina vocatione per miraculorum prodigia electus fuerat. Nectarius non iudicio vnius Eccleſiaſtici collegij, multo minus vnius Theodoſij Imp. ſed ſententia ampliſſimi Concilij Conſtantinopolitani, propter neceſſitatem Eccleſiæ, quæ tali Macedonianorum expugnatore, & tam potenti Eccleſiarum defenſore indigebat. Quantum ad Tharaſium, eius promotionem fuiſſe, ab Adriano 2. reprehenſam, toleratam autem propter viri virtutem, quam egregiè vt verus miles Chriſti, in profligandis Iconoclaſtis & Iconomachis, oſtendiſſet. Tertia ad imperatorem, & Quarta ad Clerum Conſtantinop. de eodem argumento. Ad extremam actionem lati ſunt iſti Canones.

Nullus de Senatoria dignita- *Ca. 5.*
te vel aliquo Laicorum ordine
nuper tonsus eligatur vel susci-
piatur Pontifex, nisi secundum
definitionem, quæ prolata est ab
hac sancta & magna Synodo. Vi-
delicet si omnem gradum Eccle-
siasticum transigens, per definita
nunc tempora, irreprehensibilis
inuentus extiterit & probatus:
ita vt in gradu lectorum annum
compleat, in subdiaconatu duos,
in Diaconatu tres, in Presbyte-
ratu quatuor. Et, si quis Episco- *Ca. 12.*
pus per versutiam vel Tyranni-
dem Principum suæ dignitatis
consecrationem susceperit, de-
ponatur, *vi pote qui non ex vo-
luntate Dei, ritu ac Decreto Ec-
clesiastico; sed ex voluntate car-
nalis sensus ex hominibus & per
homines Dei donum possidere vo-
luit vel consensit.* Et, Sancta &
vniuersalis Synodus definit ne-

Ca. 28. minem Laicorum Principum vel potentum femet inſerere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ, aut cuiuſlibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata & incongrua hinc fiat confuſio vel contentio. *Præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam Principum vel aliorum Laicorum habere conueniat,* Sed potius ſilere ac attendere ſibi, vſque quo *Regulariter à Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis.* Quiſquis autem ſæcularium Principum & Potentum, vel alterius Dignitatis Laicæ *aduerſus communem ac conſentaneam atque canonicam electionem Eccleſiaſtici ordinis agere tentauerit, anathema ſit.* Quæ cum ità ſolenniter & œcumenicè definita ſint, ne violari vllo pacto permit-

tantur, aut de gradu Conciliorum istud expungatur & numerus Oecumenicorum, mutiletur. Nam totum fuit de hoc Dogmate, nec ob aliam causam ex tot orbis Græci, Latini, Syriaci, Asiatici, Africani partibus collectum.

16

Via postremò ad regni amissionem & regiæ stirpis consumptionem. Est enim Thuribulum Oziæ regis, est iniectio profanæ manus Ozæ in Arcam Domini, est Saülis sacrorum contrectatio, non expectato vel curato Samuele, est Ephod Gedeonis, quibus, pœna KERITHVTH siue Excisionis in Hæbræorum scriptis celebrata, ad palpandam diuinam in criminibus grauioribus prouidentiam ac Nemesin, inhæret atque illigata est, vt ex sequenti capite constabit.

2. Par. 26.
2. Reg. 7.
1. Reg. 13.
Iud. 8.

Cap. 3. de Nominantium infœlicitatibus.

IStiusmodi sacrorum vsurpationes & contaminationes expiari nequeunt, communi supplicio. Non enim frustra auctor libri Iudicium posuit, *Fecitque Gedeon Ephod, & intulit illud in domum suam Ephra, fornicatúsq; est populus vniuersus Israel in eo. Factúmque est Gedeoni, & toti domui eius in ruinam.* Quæ ruina ista extiterit, idem sequenti capite explicat.

Iud. 8.

Iud 9 *Abimelech filius eius, è concubina conduxit sibi viros inopes & vagos, & occidit fratres suos septuaginta super vnum lapidem, qui egressi fuerant de femoribus Gedeonis patris sui è legitimis Vxoribus.* Grauissima quidem ruina, mirabilisque pernicies,

ſed grauiſſimum etiam fuerat ſcelus. ſactum Ephod vni Leuitarum ordinationi & poteſtati à Deo per Moſen traditum, illiſque ſolis permiſſum, ad ſeſe Principem Laicum transferre, in ſua arbitria vertere, filiis & populo pro ſuo imperio vtendum, fruendum proponere. Quæ omnia in ſigna contingebant illis, ad correctionem noſtram, vt profani Principes non ſint cupidi immittendi ſuam falcem in meſſem Eccleſiaſticam, ſicut & ille concupiuit, neque efficiantur Eccleſiaſticæ facultatis æmuli, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt, Hieroboam fecit Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de Filiis Leui & alibi, Cum roboratus eſſet Ozias eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum, ingreſſuſque in templum Domini,

Exod.

1. Co. 10.

3 Reg. 12.

2. Par. 26.

adolere voluit incensum, super altare Thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias Pontifex & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri magnanimi restiterunt Regi, atque dixerunt. Non est tui officii Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotũ, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium. Egredere de Sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi gloriæ hoc à Domino Deo tuo. Iratúsque Ozias minabatur Sacerdotibus; sed statim orta est lepra in fronte eius. Cúmque respexisset eum Azarias & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinatò expulerunt eum. Sed & ipse perterritus accelerauit egredi. Senserat enim illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias rex leprosus vsque ad diem mortis suæ; & habitauit

in domo ſeparata, lepra plenus, ob quam eiectus fuerat de templo Domini. Sicque Ioathan rexit domum Regis & gubernauit populum terræ. Cumque Ozias dormiiſset ſepultus eſt in agro, non in ſepulchris regalibus, eo quòd eſset leproſus. Hæc paulo prolixius. Verum id, vt moueantur, moneantúrque iſtis exemplis Proceres ſapere & apprehendere diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, ac intelligant diuinatum rerum vſurpationes ſecum extraordinarias calamitates afferre, tandemque ſempiternam Sobolis perniciem atque exitium. Nec habēt eludedere hæc eſse vetera. Nam Henricus quartus, quem præcipuum architectum huius ſceleris fuiſse docuimus, vt apud nos Franciſcus, non adeo vtere memoria miſerè interiit, exutus imperio & imperii inſignibus in

publico Comitiorum theatro, perpetuo carceri mancipatus, vt canis mortuus Spiræ & per quinquennium insepultus. Vnicum quidem Henricum quintum sibi successorem reliquit, sed qui etiam ipse infœliciter obierit, nullisque relictis liberis ad alienos imperium transmittendum, vellet nollet, viderit. Notum est etiam genus mortis, quo ad inferos transuecti sunt nonnullo post interuallo duo Frederici, auus & nepos, qui de hac deferendi sacrosanctos principatus facultate concertationem redintegrare contra Ecclesiam aggressi fuerant. Vicit eos Christus, adeo vt istam Facultatem Ecclesiis Imperatores reliquerint, vel potius relinquere propter infortunia coacti fuerint. Comperta est pariter sæua nex Phocæ Nicephori, per quam Victrix Ecclesia suos Epis-

Crantzius. *Zonar. to. 3.*

copos Nicephori libello ſuſcribere aſpernatos, quo ſanxerat, ne quis paſtor ſe inſcio crearetur, ex exilio recipit, acta reſcindit, libellum per Polyeuctum Patriarcham publicè lacerat, ac ea lege, non alia, inaugurationem Zimiſco defert. Verum iſta externa mittamus, ſapiamus Domeſticis, ſi quidem externa dici merentur Catholica exterarum nationum exempla, & non potius ad nos pertinent, quos nobis arctius quouis ſanguinis, ciuitatis, linguæ, patriæ conſortio, Religionis vinculum ſociauit atque conſtrinxit. Sanctius Ebroicenſis Epiſcopus, quo Doctore & Theologicorum meorum ſtudiorum magiſtro gloriari exultaréque ſoleo, diuinè animaduertit Clodoueanos & Carolinos, penes quas duas familias rerum Francicarum ſumma, ante

Sanct. præfa. in libros de Eucharistia.

iſtam tertiam, extitit, quando auſi ſunt quaſi regali iure poteſtatem creandi & inſtituendi paſtores ſibi aſserere, breui iuſto Dei iudicio, odium in ſe populi concitaſse, ac á ſuis laceſſitos, tandemque circumuentos dignas ſacrilegiorum pœnas luiſse, atque ita ſuam gentilitatem è Monarchiæ principatu excuſiſse.

Hoc apparere in vltimis Cloãoueanis, aduerſus quos Vocationem Canonicam conculcantes, Eccleſiæ noſtræ libertatem opprimentes, ac ei, quos liberet, pro capitibus obtrudentes, Deus qui non irridetur, rerúmque ſuarum eſt zelotes vehemẽtiſſimus, proceres populúmque armauit, demum Childericum tum cognomento, tum re ſtupidum per eos totondit, ac in Monaſterio coniecit, & quidem ſine Abbatis titulo, quem tot profanis donationibus vitiauerat. Idem elucere in

uouissimis Carolinis, quorum tempore Aymericus quidam apud Lemouicenses, primus non Monachus Abbas efficitur, etsi sub vitæ extremum, conscientiâ exagitatus Monachus effici postulauerit. Rex enim Ludouicus (vltimi Carolini auus, eius offensionem metuens Abbatiam S. Martialis ipsi commiserat, sacramentis tamen obstringens, vt Monachus fieret. Audis quo tempore cœperint Monarchæ commendare Monasteria sæcularibus, ac

Primus Commendatarius Abbas Aymericus an. 950. ex Aquitaniæ Historiæ fragmento.

Humano trũco ceruicẽ iungere equinam.

Qua fenestra semel aperta, breui, vt in peius facilè ruitur, Nobilibus Laicis non solùm opes & præfecturæ Monasteriorum assignatæ sunt, sed nomina etiam attributa, adeo vt equites armati asumerent Abbatum titulos, & suas vices gerentibus Decani duntaxat vocabulum re-

Appendix Aimonii lib 5. c 36. & 41.

linquerent;cuiusmodi hodie sunt ferè, quos Fiduciarios, siue confidentiarios, siue Custodios, barbaris vocabulis, vt sacrilegium est barbarum & Symoniacum, appellamus. Inter quos vnus Eudo, siue Odo, cognomento Magnus Abbas, propter multitudinem Monasteriorum regiâ authoritate occupatorũ, ostium patefecit Hugoni Capeto Parisiensi Comiti ad obtinendam Monarchiã & Carolinorum stemma extinguendum. Contemplemur nunc tertiam regum nostrorum stirpem, de qua per superiorem regulã facilè præsagiri poterat, quorsum breui post Franciscum esset euasura, & quem exitum habitura. Certè ei idem, vel etiam deterius per postremos Gentis Valesiæ Principes accidit, dum à Francisco Nominationum istarum fonte ad Henricum tertium, eius nepotem intra 47. annos,

ab vnico Philippo Hiſpaniarum Rege ſepulti ſunt vniuerſi infœliciter. Franciſcus Ramboletij in aliena domo ex lue venerea conſumptus eſt. E tribus liberis ſuccedendo idoneis vnus Lugduni potione aquæ medicata ſublatus eſt, alter ſcrinio è ſuperioribus decidente oppreſſus, tertius Henricus Rex in ludo lanceario ligni fragmine, inter medias voluptates & gaudia, proſtratus atque extinctus. E quinque Filiis, quos pueros Henricus ſuperſtites reliquerat, tres præmaturè viroſis ſiue fumis ſiue edulijs vita exuti ſunt, Maximilianus Dux Andegauenſis, Franciſcus & Carolus per ordinem reges. Duo Henricio vnus Rex, alter nothus Prouinciæ gubernator.

Sanguinis effuſi pœnas cũ ſanguine ſoluũt,
Ac temerata ab auo myſtica iura luunt.

Regno Chriſtianiſſimo prædæ

relicto, vt in aliam familiam, vtinam sanctiorem, & iuris humani diuinique seruantiorem, deuoluendum videatur. Hocque ei portendisse Fransci nomen. Nam ab eius inauguratione Francorum ingentem gloriam primò valde imminutam, postremò.
Per varios casus, per tot discrimina rerũ
penitus amissam sensimus, vt ex Franciscis Francisci siue franculi euaderemus, quemadmodum apud Græcos ex ἀνθρώπων ἀνθρωπίσκοι. Quo ferè portento Augustus Romanum imperium condidit, Augustulus vir ominosæ diminutionis in Italia perdidit & ad Barbaros Scythici generis transmisit. Ex quo apud nos impletum est Verbum illud Domini, Quicumque glorificauerit me, glorificabo ego eum. Qui autem me contempserit, erit inglorius. Huic tragœdiæ insertum nolim Leonem decimum à Fran-

1. Re. 2. 30. (margin, beside "mini, Quicumque glorificauerit")

cisco circumscriptum, vt isti sacrilegio assentiretur, propter sacram vnctionem & summi Sacerdotij maiestatem. Optarim tamen, vt quemadmodum Paschalem 2. imitatus fuit imprudenter Henrico quinto Concordata, contra Canonicas vocationes in Imperatoriæ dignitatis gratiam concedentem; ita eundem ad se paulo post reuersum, Concordata sapienter rescindentem & de Simoniaca labe sanctè condemnantem imitatus fuisset. Fortasse neque mortem intempestiuam obiisset, neque materiam poëtæ sui temporis Italico canendi reliquisset.

Sannazarius in Epig.

Sacra sub extrema si fortè requiritur hora,
Cur Leo non potuit sumere; vendiderat.

Repudiatis igitur his profanis, & tot malorum genitricibus Ty-

tannorum nundinationibus ad ſacras & ſalutares Electiones, quæ ſacros & diuos pepererunt, Numinis gloriam amplificarunt, Pauperes aluerunt, templa ſtruxerunt, ornarunt, auxerunt, conſeruarunt populum verbo Dei & pietatis officiis pauerũt, multis aliis præclaris meritis mundum affecerunt, iamiam accedamus, ac earum, Spiritus ſancti lumine præeunte, fœlicitatem oſtendamus.

Cap. 2. De ſacris Electionibus earúmq; diuina inſtitutione.

HÆ calamitates ſacris vocationibus auertẽtur, vel certè maxima ex parte minuentur, dum ad primigeniam & Euangelicam inſtitutionem negotium deferetur. Fauebit haud dubiè ſuis inuentis atque inſtitutis Chriſtus. Electiones autem eſse inſti-

institutum inuentumque Christi atque de iure Euangelico Apostolica scripta non vno loco testantur, & pluribus locis affirstamant sanctissimi Patres. Verba martyris Cypriani sunt.

Electiones esse de iure diuino & Euangelico.

Ipsum videmus de diuina authoritate descendere, vt Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. Et paulo post, *Quod postea secundum diuina magisteria obseruatur in Actis Apostolorum, quando de ordinando in locũ Iudæ Episcopo tractatur.* Aliquanto post rursum, *Propter quod diligenter de traditione diuina & obseruatione Apostolica seruandum est & tenendum quod apud nos quoque & ferè per prouincias vniuersas tenetur,*

Cypr. Epist. 68.

ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant & Episcopus deligatur. Quod quomodo fieret alibi ostendit per hæc verba, *Eligente Clero, præsente populo & affinia.*

Cypr. Epist. 64.33.41.

Quibus annuit Cornelius Pontifex Max. eiusdem tempestatis martyr. Epistola ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium. Electiones ergo, vt D.D. Cypriano & Cornelio antiquis martyrib⁹ & Pontificibus placet. *De diuina authoritate descendũt. secundum diuina magisteria obseruantur, sunt de traditione Diuina & apostolica obseruatione.* Præficere enim Pastores Ecclesiæ, sine Cleri proprii, vel alieni à proprio, tacitè saltem & interpretatiuè potestatem habentis

Euseb. lib. 6 hist. c. 43.

suffragio, videtur pugnare cum verbo Dei. Præcepta Dei sunt, *Episcopatum eius accipiat alter*, Ps. 108.
per creationem videlicet Collegij Apostolici siue Ecclesiastici, vt D. Petrus explicauit.
Segregate mihi Paulum & Barnabã in opus, ad quod aſsũpsi eos. Act. 1. Act. 13. 1. Tim. 3.
Similiter & hi probentur primum, deinde ministrent. Quo allusit antiquissimus Tertullianus, Tert. in Apo. c. 39.
Præsunt probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Quoniam autem non solum præcepta Dei faciunt rem esse de iure diuino, verum etiam Sancta Scripturarum exempla rem de diuina authoritate descendere ostendunt, vt D. Cypriano videtur, ista plenius persequamur. *Episcopatum eius accipiat alter.* Quo pacto? Oportet (inquit Petrus) ex his viris qui nobiscum Act. 1.

ſunt congregati ab omni tempore, quo verſatus eſt inter nos Dominus, incipiens à Ioannis Baptiſmate, vſque ad diem ſuæ aſſumptionis, teſtem Reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Statuerunt igitur duos Ioſeph & Matthiam, & orantes dixerunt. Tu domine qui noſti corda omnium, oſtende vtrum ex his duobus elegeris, accipere locum Miniſterij & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas. Et cecidit ſors ſuper Matthiam & annumeratus eſt eis. Poterat quidem Dominus dum viueret per ſeſe Matthiam Iudæ ſufficere. Sic enim alios Apoſtolos immediatè proprioque motu conſtituerat, ſed voluit iam inde ab Eccleſiæ ſuæ principio figere rectæ & legitimæ vocationis per ſacram electionem exemplum, quod poſteri ſequerentur, & ad quod poſteritati firmius

commendandum, signum (inquit Areopagita) quoddam visibile super Matthiam cælitus demisit. Ad hunc modum per discipulos vocati sunt septem Archidiaconi & Ordinati. Considerate ex vobis viros boni testimonii septem plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Et elegerunt Stephanum, Philippum, &c. & statuerũt ante conspectum Apostolorum, qui orantes imposuerunt eis manus. In hanc formam Paulus & Barnabas ad Episcopatum siue Apostolatum aliquarum gentium per Ecclesiam destinati sunt; quæ actio Spiritui sancto tribuitur, ad docendum Ecclesiasticas Electiones esse viam Spiritus sancti. Liturgiam operantibus Prophetis & Doctoribus Antiochiæ & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus; Segregate mihi Paulum & Barnabam in

Eccl. Hier. c. 5.

Act. 6.

Act. 13.

opus, ad quod assumpsi eos?
Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et missi à Spiritu sancto abierunt ad varias gentes.
Poterat Spiritus sanctus extra ordinem eos mittere ac instituere, Discipulorum segregatione siue electione minus interposita.
1. Cor. 12. Quemadmodum enim Deus Pater quosdam posuit in Ecclesia primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, &
Ephes. 4. Filius ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus Ministerij: ita Spiritus Sanctus per se Apostolos, Prophetas, Doctores, Pastores constituere poterat, nec ad id vti Ecclesiæ opera, Singulæ enim Triadis hypostases parem habet vim ac potestatem, & quæ vna operatur pariter altera. Ve-

rum propter nos iſtud factum, vt ſicut Paulus & Barnabas à Clero Antiochiæ ſegregati delectique ſunt ad Apoſtolicum inter certas gentes miniſterium : ita noſtri ab Eccleſiarum clericis, ad Paſtoratuum munia vocentur ac deligantur. Sic ad illos pertinebit verbum Pauli, Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, ad regendam Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. *Act. 20.* Talis enim delectus eſt Spiritus Sancti via, quem extingunt quotquot aliis mediis & modis Eccleſiæ de Præſulibus prouident & illam authoritatem Eccleſiaſticis adimunt. Intrudunt enim, eos, quibus verbum Domini congruat, Qui non intrat per oſtium, ſed aſcendit aliunde in ouile ouium, ille fur eſt, & latro & mercenarius. Qui autem intrat per oſtium paſtor eſt ouium. Id eſt, qui ad Paſtoratum Eccleſiæ *Ioan. 10.*

conſcendit alia via, quâm à Chriſto inſtituta, ille fur, prædo, mercenarius eſt. Nam ſe Chriſtus exponens ſubiicit, Ego ſum oſtium.
Epiph. her. 69. Oſtium Chriſtus dicitur, quoniam per ipſius inſtituta ingredi; via, quoniam per ipſius præcepta proficiſci debemus, inquit Epiphanius. An obſecro inſtituit Chriſtus, vt Magiſtratus profani deferant Sacras poteſtates, & non potius ſacri homines! An
Ioan. 20. non cum Apoſtolis diceret, *Sicut miſit me pater & ego mitto vos*, volebat vt ea poteſtate, eaque ratione Apoſtoli gubernarēt Eccleſiam, qua ipſe eam gubernauerat eo tempore, quo præſentiam ſuam mundo exhibuerat. At ipſe Apoſtolos primùm, duodecim, deinde diſcipulos ſeptuaginta duos elegit, ſine conſilio, aut ſuffragio vllo laicorum. Eodem
Heb. 5. ſpectat pronuntiatum Pauli, Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui

vocatur a Deo, quemadmodum Aaron & Christus, qui semetipsum non clarificauit, vt pontifex fieret. Vocatus est autem Aaron à Deo per Mosem Leuiticum pastorem & authoritatem præcipuam in Ecclesia obtinentem, non principem laicum; & quidem sine vllo vel consensu vel consilio laicorum. Non enim solum à Deo vocatus aliquis dicitur quando ab eo immediatè, & per viuum vocis vel inspirationis oraculum accitur ad spirituale munus, cuiusmodi vocatio extraordinaria est, verum etiam quando secundum Dei ordinationem & institutum, qualis est ordinaria & Canonica, deligitur. Addo Pauli aliud testimonium. Noli negligere gratiam Dei, quæ tibi data est per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Apertè prophetiam appellat propheticam *1.Timo.4.*

actionem & designationem, quæ de Timotheo Episcopo principio Ecclesiæ ferè erant à presbyteris, qui omnes in prophetæ donóue Prophetiæ prædi-i, facta fuerat, priusquam ei manus à concilio & cœtu Presbyterorum siue Episcoporum imponerentur. Episcopi enim à pluribus, minimùm tribus, ordinantur, & manuum impositione obumbrantur, ex Apostolicis constitutionibus. Hanc verò prophetiam, sacram & propheticam segregationem siue selectionem ex actis Apostolicis appellare licet, quia illic Prophetæ & doctores segregare memorantur Paulum & Barnabam ad diuinum munus, superaddita manuum impositione. Licet item appellare Metonymicè Prophetas, vt cum Paulus alibi, Spiritum prophetarum prodidit subiectum prophetis, id est prophe-

Ca. 1. Apost. Can. 4. Niceni Conc. C. 11. Conc. Carth 2. C 39. Conc. Cart. 3. C. 2. Conc. Cart. 4.

Act. 13.

1. Co. 14.

tarum concilio, conuentui, examini. Ridiculus enim est Beza qui locum non capiens licenter & remotè nimis διὰ προφητείας per Parallagen τῶν προθέσεων explicat, εἰς προφητείαν vel ἐν προφητείᾳ ad prophetia, ad prophetādū. Accedit quòd Apostolus loquitur, de Episcopatus Ephesini Timotheo collati modo atque ratione, per Presbyterij videlicet, siue collegij Presbyterorum ordinationem atque manuum impositionem. Sunt enim interdum generalia nomina Episcoporum & Presbyterorum. Prætereo prudens sciénsque veteris instrumenti testimonia. Dicam solùm, quoniam sortes erant Electionis genus ac typus Christianorum, Sacerdotes Sacrorúmque præpositos in illa Domini lege, non authoritate Magistratus laici, non Iure Regum, neque suffragio populi, sed à pastore vel Clero Mosaico electos per sor-

Phil. 1 v. 1. Act. 10. v. 17 & 28. 1 Timot. 5. v. 17.

1. Par. 22, & 24. tem. *Filios Aaron diuisit Dauid per sortes, quis foret primus, quis secundus &c.* q. d. Rex Dauid, non sibi suscepit authoritatem, quamuis esset sanctus, quamuis à Samuele vnctus, quamuis habens Spiritum Dei, quamuis fundator & locupletator quatuor Millium Canonicatuum & præpositurarum (Cantorias Hebræi vocant in Seder o'am) nominandi quemquam ad sacrosanctas potestates, sed omnia commisit sorti, i. diuinæ electioni per sortem exquisitæ, de qua Rabbini peculiariter exponunt, *Sortes mittuntur in Sinum. sed à Domino temperantur*, Et, *Deus temperat Sortes.* Quædam erat tabella inscriptum continens nomen Tetragrammaton, quæ appellabatur GORAL ADONAI, Sors Domini, non modo quia nomen Sacrosan-

Seder olam c. 12 ex extremis capp. lib. 1. Paralip.

Prou. 16.

ſanctum conſignatum habebat, ſed etiam quia tam ſanctum nomen moderari ac dirigere illam ſortem in ſortientium commoda atque vtilitates, occulta quadam vi, arcanáque virtute, credebatur. Qui mos ad vſque Chriſtum perdurauit. Hinc enim factum, cum Sacerdotio fungeretur Zacharias (Baptiſtæ parens) ſecundum conſuetudinem Sacerdotij, SORTE EXIERIT, vt incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini. Hinc etiam factum, vt pridie Pentecoſtes ſuper Matthiam, dum eligeretur, Sors ceciderit. Ex reliquiis, procul dubio, Synagogæ cum Euangelio adhuc currentis, & tali ritu præſignificantis Populum Domini, ſub Chriſto, ad ſuas ſacroſanctas poteſtates creandas, Euangelicis vocationibus Delectibúſque vſurum. Quod Cyrillus Alex. ab Eſaia prædictum Luc. 1.

putat, ſecutus 70 Seniorum interpretationem. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, Miniſtri Dei veſtri, dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis. Sic ſecundo ſorte terram hæreditabunt.* (hereditabitis per Enallagem.) οὕτως ἐκ δευτέρας κληρονομήσουσι. Alluſione ad Ezechielem, qui Leuitas Sacerdotes, Pontifices, Miniſtros deniq; vniuerſos ſui templi per Chriſtum excitādi, ſuas partes diuina ſorte cōſecuturos vaticinatus eſt. Quæ fuit vmbra & figura ἱερῶν κλήρων, diuinarum ſortum, id eſt, Euangelicarum vocationum, à quibus Apoſtoli clericos denominationem ſumere, & præpoſitos in Eccleſia conſtituere voluerunt. Eò plerique retulerunt verſum Pſalmi, *Si dormiatis inter medios*

Eſ. 61.

Pſ. 67.

cleros (eritis ſicut) pennæ columbæ deargentatæ, cuius dorſi poſteriora (ſunt) in pallore auri. id eſt, inter medias ſortes. q. d. Si verſemini inter Euangelicas vocationes diuinitus inſtitutas tanquam ſortitiones, ſi conſiſtatis & conquieſcatis intra terminos diuinarum Sortium, quibus nullus Laicus, nullus Politicus Magiſtratus ſeſe immiſcet, eritis ſicut columbæ pennæ deargentatæ, cuius poſteriores ad caudam plumæ, inſtar auri rutilant. Eritis aurei argenteique paſtores, eritis columbini Præſules, abſque felle, abſque impuritate & maculis, non lupi, non fures, non mercenarij. De Paſtoribus videlicet Eccleſiæ Prophetabat Pſalmographus, quibus vt proximè docuit, *Dedit Dominus Verbum ad Euangelizandum virtute multa*, & poteſta-

tem ſubijciendi: Dilecto ſuo Chriſto potentiſſimos quoſque Tyrannos, vtut virtutibus ſiue exercitibus inſtructos, atque diuidendi inter ſe ſpecioſiſſimarum ædium & ciuitatum ſpolia.

Cap. 5. eſſe de iure Apoſtolico & Eccleſiaſtico.

2. Elect. eſſe de iure Apoſtolico.

SEquitur apud D. Cyprianum Electiones eſſe *de Apoſtolica obſeruatione.* Nam præter diuinum atque Euãgelicum, iuris eſſe *Apoſtolici*, addo *Eccleſiaſtici*, *Ciuilis*, *paganici*, *Ordinarij* atque *perpetui*, deniq; *neceſſarij*, niſi rem Chriſtianam corruptam penitus & à ſuo fonte degenerem volumus, facilè demonſtratur. Extant de eo complures Apoſtolorum canones. Præterea Clemens in perſona Apoſtolorum de Epiſcopis, quos dum vi-

Conſt. Apoſt lib. 8.

uerent, elegerunt. Hanc constitutionem, ait, à nobis edocti, qui à nobis, authoritate Christi, estis Episcopi constituti, omnia secundum præcepta vobis tradita, facite, scientes, quod qui vos audit, Christum audit, qui Christum, Patrem eius. Hanc Apostolicam constitutionem vocant Patres Constantinopolitani VETEREM SANCTIONEM, epistola ad Damasum, Ambrosium, & cæteros Romæ in Synodo coactos. "De cura autem & administratione singularum Ecclesiarum "scitis VETEREM SANCTIONEM & definitionem Nicenorum Patrum semper valuisse, vt in vnaquaque prouincia Prouinciales, assumptis etiam si videtur finitimis Episcopis, conferant Ecclesiasticos apices ad Ecclesiæ vtilitatem. Secundum hanc igitur Nectarium Episcopum præposuimus, præsente Theodosio Imp."

Theod. hist. lib. 5. c. 8.

cum omnium Clericorum & totius ciuitatis approbatione. Neque enim probabile est VETEREM SANCTIONEM eandem facere cum DEFINITIONE NICENORVM PATRVM, cum præsertim inter Nicenam Synodum & hanc Constantinopolitanam, in qua isthæc patres dictabant, fuerit duntaxat interuallum annorum sex & quinquaginta. Nota autem. PRÆSENTE THEODOSIO IMP. Non enim dictabat, neque nominabat, neque postulabat, quin potius contradicebat, Nazianzenum optans, qui tempore difficillimo Constantinopolitanam sedem rexerat & ab Ariana peste conseruauerat. Quid memorem vetustos & primos scriptores, qui ab Apostolis ad hosce Nicenos Patres eiusdem legis renouatores aliquid scripto reliquerunt, cum vel Lampridio auctori à nostra reli-

gione alieno id cognitum fuerit. Narrat enim hunc ritum non solum à Christianis fuisse seruatum inter medias persecutiones, sed præterea Christianos & Iudæos nomina eorum, qui Sacerdotes essent ordinandi, publicè palàmque proponere solitos, vt si qui vellent, intercedere, audirentur. Illud nimirum est Pauli, Oportet Episcopũ esse ἀνέγκλητον, sine crimine, vel potius vt Hierony. animaduertit, sine accusatione. Item oportet illum etiam testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat. Quod tantopere placuit Alexandro Seuero, vt tali programmate in rectoribus Prouinciarum creandis populum vocari voluerit & consuli, quò via ad honores publicos improbis pateret difficilius. Quamobrem rectè Cyprianus istum ritum non modo asse-

Lamp. in Alex. Seuero.

1. Timo. 3.

Hier. lib. 1. cõtra Pelag.

3. Elect. esse de iure Ecclesiastico.

ruit esse de *traditione diuina* verum etiam de *Apostolica obseruatione*. Quòd verò præterea sint de *iure Canonico siue Ecclesiastico* inter diuinum & humanum interiecto, quasi diuini particula atque deriuatione, perspicuum est. Restant multi Tituli in libris Pontificijs de Electionibus, de Electo & Electi potestate &c. quos omnes Lancelotius Institutionum Canonicarum auctor &c. commentator conqueritur frustra poni, ac abire in Paleas, dum quisque principum nimia Ecclesiæ & Pontificum Max. patientia pergit passim Pastores declarare, renuntiare, dicere, abiecto Sacerdotum suffragio, populique assensu. Præter Iuris pontificij decreta, infiniti sunt patrum, Conciliorúmque in eandem sententiam canones. Lucius Pontifex & Martyr

an. 154. Nullus in Ecclesia sine "
Canonica electione pastor con- "
stituatur: Si quis vero aliter "
ecclesiam adeptus fuerit, atque "
contra Canonicam disciplinæ "
regulam egerit, expellatur. Leo- "
nis Magni ex Augustini discipulis duæ celebrantur sanctiones. Prior, nullam rationem sinere, vt inter episcopos habeantur, qui nec à CLERICIS SVNT ELECTI, nec a Plebibus expetiti, nec à Comprouincialibus episcopis, cum Metropolitani iudicio, consecrati. posterior, requiri in episcopis ordinandis vota ciuium, testimonia populorum, arbitria honoratorum & ELECTIONEM CLERICORVM. Iulius Papa apud Athanasium; Nonne oportuit iuxta CANONVM ECCLESIASTICVM in ipsa Ecclesia de ipso sacerdotali ordine & ab ipso Clero eius Prouinciæ Episcopos constitui? Quod ab Apo-

Dist. 61.

Dist. 63.

Athan. 2. Apol.

stolicis constitutionibus haustum est, & à Nicenis Patribus

Theod. in Epist. Niceni conc. ad Alexandrinos lib. 1. hist. c. 9.

C. 19.

deriuatum, qui apud Theodoritum sanciunt, vt Episcopi habeant cum Clero eligendi & omnia faciendi secundum leges & Sanctiones Ecclesiæ. Antiocheni Patres an. 340. Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι δίχα συνόδου καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας. Episcopum non esse ordinandum absque Synodo & præsentia Metropolitani. &

C. 23.

φυλάττεσθαι δὲ τὸν θεσμὸν τὸν ἐκκλησιαστικὸν περιέχοντα, μὴ δεῖν ἄλλως γίνεσθαι, ἢ μετὰ συνόδου καὶ ἐπικρίσεως ἐπισκόπων, τῶν μετὰ τὴν κοίμησιν τοῦ ἀναπαυσαμένου τὴν ἐξουσίαν ἐχόντων τοῦ προάγεσθαι τὸν ἄξιον. Seruandū ius Ecclesiasticū continens non oportere successorem alicui dare, nisi cum Synodo, & iudicio Episcoporum, qui post dormitionem requiescentis dignum promouendi habent potestatem. Synodum vtrobique appellant non Episcopo-

tum concilium, sed conuentum, coitionem, congregationem Clericorum ad deligendum conuenientium. Constãtinopolitanum anno 867. *Prouectiones & consecrationes Episcoporum, assentiens prioribus conciliis Clericorum electione, ac de certo Episcoporum collegio fieri hæc sancta Synodus vniuersalis definit statuitque.* Quin & præcipuè versatur circa depositionem Photij via Imperatoria, non Electitia Patriarchatum Constant. consecuti. Lateranense, omnium, quæ vnquam celebrata sunt, amplissimum & multitudine antistitum clarissimum Innocentio 3. Pontificum Iurisconsultissimo præsidente, 1215 non modo assensit, verum etiam Eligendi formulam aduersum corruptelas dictauit, quam qui sequuntur, nũquam aberrant. Carthaginense secun- *Can. 24.*

dum & tertium præsentia Augustini nobilitatum, idem in Africa faciendum censuit. Quibus Decretis insistens ipse Augustinus Eradium presbyterum designaturus successorem, laudabat quidem, quod Seuerus Mileuitanus Episcopus successorem virum quemdam Sanctum apud Clericos sibi optasset, quorum sententia Pastores soliti erant creari; sed non probabat, quòd ad populum nihil de eo fuisset locutus. Itaque se voluntatem
Epist. 110 suam de Eradio in omnium notitiam perferre, vt populus post obitum suum placidius renũtiationem Cleri amplecteretur. Superfluũ fuerit reliqua siue prouincialia siue Generalia adiicere; tam multa sunt, tam prompta & peruia, vt dubitari nequeat, quin id de authoritate ac sponte Ecclesiastica semper extiterit. Nec minus superfluum, aggre-

gregare maiorum nostrorum de hac re testimonia, cum vnum Martyris Cypriani, instar omnium, esse debeat. Apud nos & ferè per vniuersas Prouincias, vt ordinationes Præpositorum ritè celebrentur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi conueniunt & Episcopus deligitur, plebe præsente. Et alterum D. Hieronymi, Alexandriæ à Marco Euangelista vsque ad Heracleam & Dionysium presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominarunt.

Cypr. Epist. 68.

Hier. Ep. 85. ad Euagrium.

Cap. 6. Esse de iure ciuili & Paganico.

CIuile & Imperatorium ius Pontificio & Canonico vel hoc ipso suffragatur, quòd religione corrupta ac pessum eunte nec suis legibus viuente, ne-

4 Elect. esse de Iure ciuili & Imperatorio.

cesse sit Remp. perturbari, confundi ac tandem perire. Igitur optimi quique rerum publicarum rectores & Imperatores legibus istam Religionis partem integram esse voluerunt, & decretis ciuilibus tanquam sepimentis communiuerunt. Valentinianus apud Theodoritum, Nostis eruditi diuiniis eloquiis cuiusmodi oporteat esse Pontificem.

Theod. hist. lib. 4. c. 5. & 7. Dia.).lib. 12.

" Talem igitur eligite, cui etiam
" nos, penes quos est imperium,
" capita nostra syncerè submit-
" tamus, & cuius monitu, de pec-
" catis pœnitentiam accipiamus.
" Postea de Ambrosio communi-
" bus suffragiis electo; Gratias
" ago tibi Domine omnipotens &
" Saluator, quòd huic quidem vi-
" ro commisi ego corpora. Tu
" autem animas, & meam senten-
" tiam iustam ostendisti.

Leo & Anthemius Impp.


Episcopi electionem puram & Synceram & in nuda liberaque Eligentium conscientia positam imperant, vt humilis & castus delectus, quocunque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet Iustinianus, Eligendum aut ex monachis aut ex Clericis, qui sit inculpatus, in bonis testimonium & vitam habeat, secundum S. Apostolum. De eligendo Canones recipiendos, vt leges ipsas, Eo quod (inquit) à præcedentibus nos Imperatoribus & à nobis ipsis recte dictum est, *Oportere sacras regulas pro legibus valere.* Eligendum à scientibus eos rectæ & Catholicæ fidei & honestæ esse vitæ & literas scire, vt post ordinationem à nemine doceri debeant; non propter aliquam donationem, neque promissionem, aut

l. Si quemquam de Episc. & Cler. coll. 1.

In Authēt. Quom. oportet. Episc. coll. 1.

Ib. § ad hæc & l. Priuilegia de Sacro. Eccl.

In Authen. de Sanctiss. Episc. coll. 9.



aliam quamlibet causam sacris Canonibus interdictam. Rursum, Si ciuiles leges firmas ab omnibus custodiri ad obedientiam securitatem studemus; *quanto plus studij ponere debemus, circa sacrorum Canonum & diuinarum legum custodiam.* Et post, His igitur quæ sacris canonibus definita sunt insistentes per præsentem legem, sancimus, vt quoties vsu venerit Episcopum ordinari, conueniant Clerici & primores ciuitatis, cui ordinandus est Episcopus, & propositis Euangeliis super tribus personis PSIPHISMATA fieri, & quemque ipsorum iurare, secundum diuina eloquia, & in ipsis Psephismatibus inscribi, quòd neque per Dationem neque promissioné, vel amicitiam, vel gratiam, vel alium qualemcumque affectum;

In Auth. de ordinat. Episcop. & Cleric. coll. 10.

Psephisma iudicium seu decretum per suffragia.



ſed quòd ſcientes ipſos rectæ & Catholicæ fidei, & honeſtæ vitæ, & excedere trigeſimum ætatis annum, ipſos elegerint: vt ex tribus ita electis perſonis melior eligatur, electione & iudicio ordinantis. Quod alibi repetit apud Iulianum Patricium, Epiſcopus creetur ſecundum ſanctas Regulas. Nam Patrum Canones vim legum habere oportet. Quales autem eſſent hi, & quemadmodum iſta Præſulum creatio, apud Græcos contingeret, conſtitutione centeſima decima quarta idem Iulianus commemorat, eam nullam eſse concludens, niſi ad Præſcripta legitimè efficeretur. Si quis autem præter memoratam obſeruationem Epiſcopus crearetur, iuberi cum modis omnibus ab Epiſcopatu expelli. Verum de Imperatoribus Romanis hactenus. Noſtros

In Nouell. de Epiſc. & Cleric. Conſt. 6. auth. Iulia. Patric.

delibemus. Caroli magni & Ludouici pij capitula apud Ansegisum abbatem ordini Ecclesiastico assensum præbent, vt Episcopi per electionem Cleri, præsente populo, *secundum statuta Canonum* de propria Diocesi, remota Personarum, vel munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur. S. Ludouicus an. 1228. de ea re legem peculiarem condidit, 1268. sub vitæ & regni extremum restaurauit celebri habito couentu, & Pragmaticam Sanctionem vocauit, quæ etiamnum hodie Pragmatica S. Ludouici dicitur, & ad vsque Basiliense concilium viguit, â quo nonnihil immutatata, occasionem nonnullis Pontificibus præbuit, eam vt ad ius antiquius & præcedentibus institutis congruentius emendari restituique cuperent. Leges er-

go ciuiles, Imperatoriæ, Regiæ, Ecclesiasticam de delectu Præsulum disciplinam, à Traditione diuina teste Cypriano, semel acceptam, & Apostolica obseruatione firmatam mouere, nedum immutare non sunt ausæ; fortasse etiam, quod illa iuri gentium & quidam paganico conueniret, à quo temerè discedendum numquam sapientissimi legislatores censuerunt. Nam *Moribus antiquis stat res Romana, virisque.* *Elect. esse de Iure pagano.*

Prætereo Turcam, qui quamuis sit à vera religione alienus, suis Sacerdotibus tamen, pinguem distributionem suorum Musulmanicorum honorem non eripit, sed nec impedit Nostrorum in suis regnis captiuam vitam agentium Electiones Canonicas, nisi quod ab Electis Patriarchis Constantinopolitanis *Malaxus de Patriar. Const. Crusius lib. 2. Turcogræcia.*

tributum quingentorum aureorum accipit, quod Caratzium, vocant. Quod verò Pagani non priuata Profanorum creatione ad Sacerdotia & sacrosanctas potestates vterentur, sed vel sacri collegij suffragatione vel sortitione, quod delectus quoddam genus est, intelligi potest è variis Ethnicorum locis. Modus deferendi sacerdotij apud Romanos erat penes Collegium, puta Augurum, Dialium, parte tantùm populi, cùm Resp. esset libera & penes populum Imperij Maiestas versaretur, consulta, quòd propter Sacrorum religionem & amplitudinem Sacerdotij, populo supplicari fas non esset, inquit Cicero. Consulebatur autem pars populi, non vt deligeret, sed vt si quis quid haberet aduersus creatum criminis, proponeret, ne crearetur nisi lau-

Orat. 2. de lege Agraria in Rullum.

datæ vitæ testimonio à populo decoratus. Quod apud Christianos & Iudæos Alexandri Seueri Imp. ætate obseruatum auctor est Lampridius, & seruari suo tempore voluit Bonifacius octauus sanciens, vt priusquam confirmaretur præsul vllus, quomodocunque lectus, generali programmate vocentur, qui volent intercedere: illud est à Cypriano toties repetitum, *præsente populo*, *eligente Clero*, vel *assistente plebe*, Clero eligente. Consimilis videtur fuisse ratio admittendarum vestalium ad sacra Vestæ Deûm matris, ante legem Papiam, Numæ instituto. Nam post legem Papiam de eligenda virgine vestali hæc obseruata sunt. lege Papia cautum est, vt arbitratu Pontificis Max. viginti è populo Virgines legerentur, sortitióque ex hoc

C. vlt. de Elect. lib. 6.

Liber de Sacerdotiis Rom. c. 6. Fenestellæ tribuitur.

numero fieret in concione. Cæterum ea lex vetustate, vt plæræque aliæ, exoleuit, satisque ei electioni fieri cœptum est, si quis honesto loco natus Pontificem maximum adiret, offerrétque ei ad sacerdotium filiam, cuius duntaxat saluis obseruationibus, religionis ratio haberi possit. Gratiam enim Papiæ legis per Sanctum fieri aiunt. *Sic* hanc Virginem à Pontifice Max. capi moris fuit, qui his verbis tunc vtebatur, Sacerdotem Vestalem sacra facere, quæ iussi pro populo Ro. Quiritibúsque, vti optima lege fuit, ita te Amata capio. Is autem deferendi sacerdotij modus cooptatio dicebatur, quæ nunc à solo antistite, suum tamen iudicium de dignitate cooptandi, & sententiam ad totum collegium referente, nunc à toto collegio fiebat. Profanis nunquam eam fi-

bi poteſtatem arrogantibus. Factum, inquit Cicero de lege Agraria, vt his à collegio cooptaretur. De claris vero Oratoribus, Cooptatum me ab Hortenſio in collegium recordabar, in quo iuratus iudicium dignitatis meæ fecerat, & inauguratum ab eodem: ex quo augurum inſtitutis in parentis eum loco colere debebam. Alter verò modus apud Ethnicos fuit ſortitio. Tacitus, In Auguſtalium ſacerdotum ſodalitium ſorte ducti è primoribus ciuitatis viginti vnus. Cicero, Syracuſani quotannis Iouis Sacerdotium apud eos ampliſſimum nominibus aliquot in vrnam coniectis ſortito capi iubebant.

Tac. lib. 1. Auguſtalium.

Cic. 4

Vt minimùm ab his inſtitutis occupata Rep. Imperatores diſcederent, & interim pro dominatu & ambitione, Religionis prærogatiuas ad ſuum arbi-

trium traherent, se Pontifices Max. renuntiauerunt & inter reliquos titulos inscripserunt. Hoc pacto, minore cum Populi offensione & Tyrannidis nota, facultate tribuendi sacros principatus atque potestates se vti posse censuerunt. Eo igitur nomine, non Imperatorio Plinius Iunior Sacerdotium Auguratus à Traiano petit & impetrat.

Plinius Traiano lib. 10. Epist.

Cum sciam domine ad testimonium laudémque morum meorum pertinere, tum boni Principis iudicio exornari, rogo dignitati, ad quam me prouexit indulgentia tua, vel Auguratum, vel Septemuiratum, quia vacat, adijcere digneris, vt iure Sacerdotij precari Deos pro te publicè possim, quos nunc precor pietate priuata. Eo nomine Traianum super reliquiis sepultorum transferendis eodem libro consulit, petentibus quibus-

busdam vt sibi reliquias suo- "
rum, aut propter iniuriam vetu- "
statis, aut propter fluminis in- "
cursum, aliaque his similia quæ- "
cunque, secundum exemplum "
Proconsulum transferre per- "
mitterem: quia sciebam in vr- "
be nostra ex eiusmodi caussis "
collegium Pontificum adiri so- "
lere: Te domine Maximum "
Pontificem consulendum puta- "
ui, quod obseruare me velis. "
Rursum alia eiusdem libri Epi- "
stola de Religioso templo trans- "
ponendo, Dispice ergo Domi- "
ne, an putes ædem (Matris Ma- "
gnæ) cui nulla lex dicta est, sal- "
ua religione posse transferri, "
alioqui commodissimum est Ni- "
comediensibus, si Religio non "
impedit, apud quos cognoui
alium, alium apud nos esse mo-
rem dedicationis. Ac responsum
fert, Potes mi Secunde charissi-
me, sine sollicitudine Religio-

Traianus Pontifex Max. Plinio, Ibid.

„ nis, si loci positio videtur hoc
„ desiderare, ædem matris Deûm
„ transferre in eam, quæ est ac-
„ commodatior. Nec te moueat,
„ quòd lex dedicationis nulla re-
„ peritur, cum solum Peregrinæ
ciuitatis capax non sit dedica-
tionis, quæ fit nostro iure. Ita
propter Religionis maiestatem
per Prophanos homines, Sacro-
sanctos honores & potestates
deferri, cùm Ethnici nefas esse
putarent, tolerabilius, minusque
Deo contumeliosum duxerunt
suos Impp. è profanorum albo
eximere, & Pontificatus Maximi
inauguratione cohonestare. Ad
istam rationem pertinet, Mo-
narchæ vt nostri, qui sibi sacro-
sanctam potestatem vendicant,
more saltem paganico, hanc
Numini reuerentiam præstent,
vt se summos Pontifices priùs
ordinari patiantur, deinde se ta-

tia suis seruis & Ministris distribuant, de Iure Religionis cum Traiano, exorta dubitatione, respondeant, neque quicquam collegijs Pontificum permittant, nisi quantum suæ libidini consentaneum videbitur. Atqui apud Christianos, contra ista vniuersa ius commune perpetuo valuit. Siquidem iuxta illud, Cunctas Electiones Ecclesiasticas oportet esse liberas, atque adeò liberrimas, Laicis omnibus exclusis, quantum ad suffragium, grauis pœnæ iniunctione. Perspicuæ sunt sanctissimorum Patrum sanctiones, *Si quis deinceps*, Et, *Quoniam inuestituras*, cum sequẽtibus compluribus apud Gratianum, & capita *Messana*, *Sacrosancta*, *&c.* apud Pontifices, De Electionibus.

16. q. 7. & dist. 63. & 67.

Cap. septimum, Esse de iure ordinario & perpetuo.

6. Elect. esse de iure communi, ordinario & perpetuo.

QVod autem iuris ordinarij & perpetui dignitate polleant, inductione singularum ætatum iam inde à Christo per totum Catholicum orbem doceri facillimè potest. Verum ad Nostratem Galliam, quoniam præsertim de ea laboramus, vbi propter eas excisas, vniuersa sacra conspurcata & temerata sunt, nostram inductionem conferimus. Ordimur autem à sexti Christi sæculi initio, id est, quingentesimo Salutis anno, quoniam de quingentis primis annis non dubitatur, cum constet è Sidonio Apollinari, Gregorio Turonensi, Seuero, Sulpitio & alijs Ecclesiasticis rerum Gallicarum vetustis scriptoribus, Episcopos Galliæ sub Ro-

manis Impp. à clero perenni succeſſione fuiſſe creatos. Reſtat igitur, diſcipiamus, quid mutato Galliæ ſtatu è Romanæ Prouinciæ forma in regiam de eo ſeruatum ſit. Conc. Aurelianenſe ſecundum, Regnante Clodouæo, à quo hic regius Galliæ ſtatus ſumitur, cùm præcedentes tres quatuorve Reges Francorum, qui nominantur, non modo reges non extiterint, ſed ne minimæ quidam Galliæ partis poſſeſſores ac Domini, tametſi tranſito Rheno ad eius Gallicam ripam, tanquam ſigno diuinitus dato ad dilacerandum Romanum Imperium, ſicut à Daniele & Ioanne in Apocalypſi prædictum fuerat, accurrentes conarentur adeſſe Gallis libertatem affectantibus, ipſóſque ad ferendam ſibi opem contra Romanos inuitantibus, donec Galli ſe communi conſilio Clo-

douæo, vbi Christo nomen dedisset, sponte submiserunt, eum regem renuntiarunt sacrarúntque, Galliam suam in regni formam redigentes & Galliæ partem secutam suam factionem Regnum Franciæ appellantes, adeo vt Religio Regem primùm huic regno tribuerit, sicque Monarchiam Christianissimam pepererit. Aurelianense igitur secundum eo regnante antiqua de creandis per Clerum pastoribus iura perpetuanda sub Monarchico statu censuit. Canonis
An. 500. eius septimi verba sic leguntur, *In Ordinandis Metropolitanis & Episcopis antiquam institutionis formulam renouamus, quam per incuriam videmus neglectam. Itaque Metropolitanus vel Episcopus à comprouincialibus Clericis & populis electus, congregatis in vnum omnibus*

comprouincialibus Episcopis ordinetur, vt talis (Deo propitio) Ad gradum huius dignitatis accedat, per quem regula Ecclesiæ in melius aucta plus floreat.

Clodouæus ipse an. 500. conuocatis iterum, vt apud Vincentium Specul. legitur in ciuitate Aurelianensi permultis præsulibus ac Episcopis, inter quos S. Melonus erat, in diligendis Pastoribus antiquos canones seruari ac retineri præcepit. Nihil aduersus hanc paternam ordinationem filij moliti sunt. Nam Childeberti tempore, qui inter eos primas tenuit, Concilium Aurelianense tertium hanc sanctionem vulgauit. *A comprouincialibus, Episcopus ipse (sicut decreta sedis Apostolicæ continent) cum consensu cleri vel ciuium eligatur.* Similem

Vincent. hist. lib.

Con. Aur. 3. Can. 1.

Aruernense apud Claromontem, quæ tunc Aruerna ciuitas dicebatur, vt constat è Gregorio Turonensi. *Placuit, vt ad sacrum quis Pontificij honorem conscendat Electione, non paucorum fauore. Sit in eligendis sacerdotibus cura præcipua, quia irreprehensibiles esse conuenit, quos præesse necesse est corrigēdis* Mox secuta sunt duo Aurelianensia quartum & quintum. Quartum quidem, *Id etiam Regulare esse perspeximus, vt Episcopus eligatur, electus ordinetur & in sua Ecclesia constituatur.* Quintum autem, *Episcopatum quis consequatur iuxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus scriptum est.* Et consequenti, *Item iuxta quod canones decreuerunt*

Aruer. Can 2.

Aurel. 4. Can. 4.

Quintum Can. 3. & 4.

nullus inuitis detur Episcopus, sed nec per oppreßionem Potentium personarum ad consensum præstandum ciues aut Clerici, quod dici nefas est, inclinentur. Alioqui Episcop⁹ qui magis per violentiam, quàm per decretum legitimum ordinatur, in perpetuum deponatur.

Quem Canonem mox clarius expressit Parisiense præsentia S. Germani loci Episcopi, qui Cheribertum regem à Clodouæo quintum propter stupra excommunicauit, honestatum, *Iuxta antiquam consuetudinem Canonum decreta seruentur. Nullus, ciuibus inuitis, ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet* Paris. 3 ca. 6.

conditionem ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris sui culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit. nullatenus recipiatur. Si quis de comprouincialibus recipere eum contra indicta præsumpserit, sit communione priuatus. Matisconense secundum, Guntranno memorati Chereberti fratre annitente, hanc libertatem Ecclesiasticam ita firmauit, vt cum eam Chilpericus Chereberti F. paulò post vellicare vellet non potuerit, prohibitus ab Episcopis & Ecclesiasticis, à populo traductus vt Hæreticus Catholicorum hostis, Nero siue Herodes, suæ ætatis, cæsus denique à quodam Landesio atque ita transactum est istud primum Francicæ Monarchiæ seculum. Dispiciamus nunc secundum ab

Greg. Turon, lib. 4. 5. 6.

au 600. Salutis ad 700. quod Septimum est Christi & Catholicæ per orbem Ecclesiæ. Cæsarij & Clementis Arelatensium, & S. Audoeni Rhotomagensis Archiepiscoporum electiones & opuscula aliquot ab ipsis edita fidem faciunt ipsos ad eum gradum peruenisse per eiusmodi ostium. Confirmant Gallicana illius curriculi Concilia, Antissiodorense, Suessionense, præsertim autem Francicum, cuius meminit Vincentius Speculator, & Cabillonensem totum sæculum in duo dimidia secans. Ad annum enim 654. Clodouæo 2. regnante celebratum est, isto emisso Canone. *Si quis Episcopus de quacunque ciuitate fuerit defunctus, non ab alio, nisi à comprouincialibus, Clero & ciuilibus suis alterius habeatur Electio. Alioquin hu-*

Secundum Regni sæculum ab an. 600. ad 700.

Vinc. hist. 13. c. 102.

Cabil. ca. 10

ius ordinatio irrita habeatur.

Tertium à 700 ad 800 Tertium Regni Franciæ sæculum, octano Christi respondens, à 700 ad 800 non alio deferendi Sacerdotia genere visum est, Alcuinus, Strabus, Carolus ipse magnus in suis scriptis abunde testantur. Similiter habitæ tunc Synodi, Suessonensis, Francica, Gentiliaca, Vernensis. Aliter fieri non potuisse facilè sibi persuadebit, qui contemplabitur totum illud fuisse prope emensum à Carolo Martello, Pipino & Carolo Magno Christianissimis principibus. Carolus enim Martellus an. 715. sub honore Maiordamatus regnum administrauit an. 28. Pipinus 751. dimidiato sæculo, Carolinorum regnum, tonso Childerico, auspicatus est. Carolus Mag. ad octingentesimum Christi perduxit, quousq; 801. à Leone Pont. Max. Imperato

ratoris & Augusti titulum consequeretur. Hos tres constat Ecclesiæ auctoritatem à violentia Procerum vindicasse, potestatem eius stabiliuisse, Capitula (sic enim suas leges & decreta appellabant) pro S.S Canonum obseruatione condidisse. Hac pietate & sanctis officijs viam ad diadema sibi patefecisse, Zachariæ Pontificis sententia, atque iudicio. Post quod, nempe 755. Concilium apud Palatium Vernis habitum sub Pipino iam Rege canonem vigesimum quartum Chalcedonensis renouauit in hæc verba. *Post mortem Episcopi, non liceat Episcopatum esse sine pastore supra tres menses nisi talis necessitas euenerit, vt hoc nullo modo fieri possit. Tum ad proximam synodum Episcopus ordinetur.* Præterea Carolus Magnus priuilegium eligendo-

Vernens. c. 17.

rum præsulum ab Hadriano, propter sua maiorûmque suorum præclara in Sedem Apostolicam merita, concessum reddidit & hoc capitulum apud Ansegisum Abbatem & Heroldum peruulgauit. *Episcopi per Electionem cleri & populi secũdum statuta Canonum eligantur.* Quartum, quod nouum est Christi, ab 800. ad 900. vehementius sacris cooptationibus fauit. Ludouicus enim reuera Pius & Pij filius, retulit Patris Caroli Magni capitulum. Iuribus præterea deferendorum Pontificatuum, quæ obtendi potuissent à suis successoribus, propter priuilegium superiore sæculo Patri à sede Apostolica attributum, purè & simpliciter renuntiauit. Renuntiatio ex Ansegiso Abbate & Germanicorum Francicorúmque legi-

Heroldus lib. 1 legis Franciæ c. 78.

Quartum Regni sæculum ab 800.

bus apud Gratianum legitur. Cui astipulatur illud Adonis, *Episcopales etiam Synodos, ad redintegranda, S. S. Patrum statuta & Christianarum regularum obseruationem vbique fieri decreuit.* Item capitulum 13. Aquisgranensis sub eo celebratæ quod inscribitur, De pastoribus animarum, quales in Ecclesia eligi debeant. Et Parisiensis vndecimum de Electione & promotione eorum, qui aliis præficiuntur, vbi renouatur Canon secundus Chalcedonensis. Praxis apparet è Scriptoribus illius Centuriæ, præcipuè ex Hincmaro Rhem. Archiep. Rabano Moguntin. Remigio Antissiod. Angelomo, Iona Aurelia. Antegiso, S. Herico S. germani Antissiod. & Annonio S. Germani Parisiensis monachis. Rursumè conciliis, Aquis-

C. Sacrorum canonum, dist. 63.

granensi pro Canonicorum Regula, Theodonensi, Rhemensi, Cabillonensi 2. Meldensi, Suessionensi apud S. Medardum, Trecensi, Metensi. Hincmarus Rhemensis complura exempla suppeditat. Sed & motus de Theutgadio & Gunthario Treuerensi, & Coloniensi Episcopis
863. sententia Apostolica damnatis, tredecim annis post illius Centuriæ medium, cætibus Synodalibus sæpius ad nouam electionem euocatis, illam fuisse Gallicæ Ecclesiæ consuetudinem ostendunt, itémque Proclamatio Caroli Calui, propria ipsius manu Patribus Synodi Tullensis siue Saponariæ aduersus Vuenilonẽ Archiep. Senonensem porrecta, Vbi inter cætera Caluus ipse, cùm tamen vellet Vuenilonis ingratum erga se animum exaggerare, non gloriatur se illum creasse Archiep.

Senonensem, sed ei duntaxat, Clerico in capella sua sibi seruienti consensum procurasse sacrorum Episcoporum, & apud Episcopos, quantum ex se erat, vt eundem ad gubernandam Senonum metropolim ordinarent, obtinuisse. Eodem iure sequens sæculum à 900. ad 100. gauisum est, vt è Frodouardo Rhemensi, qui septuagenario maior 966. obiit, & totius illius sæculi vsque ad obitus sui diem breue chronicon conscripsit, intelligitur. Bouo (inquit) Catalaunẽsis Episcopus obiit 947. Eligúntque sibi Catalaunenses, quẽdam nobilem adolescentem clericum, nomine Gibuinum. Et alibi, Episcopatus Laudunensis 936. datur Rodulpho eiusdem loci presbytero à ciuibus concorditer electo, qui â Domino Artaldo Rhemensi Arch. consecratur. Intrusio Hugonis He-

Quintum Regni sæculum á 900. quod decimum est Christi.

riberti Comitis filij ab eodem explicata plenius ista illustrat.
926. Episcopatus Rhemensis
" Heriberto Comiti commissus
" est sub obtentu filij sui Hugo-
" nis admodum paruuli, necdum,
" ceu ferebatur, quinquennis.
" Abbo Episcopus Romam petit
" cum legatis Heriberti comitis.
" 928. Odalricus quidam Episco-
" pus in Ecclesia Rhemensi reci-
" pitur ab Heriberto comite ad
" celebrandum taxat Episcopale
" ministerium, vice Hugonis filij
sui paruuli. Hæc quoniam Canonicis electionibus aduersabantur, quas oportet esse libertimas, & à Clero partim metu, partim gratia Heriberti tunc præsidium in vrbe habentis
" acta fuerant, 931. Rodolphus
" rex literas Rhemos mittit ad
Clerum & populum, pro ha-
" benda electione præsulis, ad
" quas illi respondent, se id agere

non posse, *saluo suo Electo &* ,,
Electione manente, quã fecerãt. ,,
Obsessa vrbe & capta ordinari ,,
fecit ibi præsulem Artaldum S. ,,
Remigij monachum 932. Missi ,,
Rhemensis Ecclesiæ Giso & Al- ,,
maricus Roma redeunt & pal- ,,
liũ Artaldo præsuli electo deferunt. Extorta prior Electo & contra Canones excusa ingentes turbas in regno excitauit, ad quas sedandas collectæ sunt passim Synodi, nec res componi potuit nisi authoritate Ingelheimensis triginta duûm Episcoporum, præsidente Marino legato Apostolico; seorsum propter hanc Rhemensis Episcopatus controuersiam misso, Othone Imp. & Ludouico Franc. Rege præsentibus. Summa iudicij fuit, vt iuxta sacræ legis instituta restitueretur Artaldo Monacho Rhemense E-

Contin. Reginonis. Frodoardus an. 948.

„ piſcopium & in Hugonem eiuſ-
„ dem ſedis inuaſorem Synodale
„ perageretur iudicium. Præce-
„ pit itaque maximus Pontificis
„ Vicarius, vt Canonicam ſuper
„ hac præſumptione Synodus
„ proferret ſententiam. Iubentur
„ ergo ſanctæ legis Catholica re-
„ citari capitula. Quibus recita-
„ tis, ſecundum ſacrorum cano-
„ num diſciplinam & Sanctorum
„ Patrum decreta, Sixti, Alexan-
„ dri, Innocentij, Zoſimi, Bonifa-
„ cij, Celeſtini. Leonis, Symma-
„ chi, cæterorúmque Eccleſiæ
„ Dei doctorum, excommunica-
„ uerunt & ab Eccleſiæ Dei gre-
„ mio repulerunt prædictum Hu-
„ gonem Rhemenſis Eccleſiæ per-
„ uaſorem, donec ad pœnitentiam
& dignam ſatisfactionem veni-
re procuraret. Hæc Frodoar-
dus, qui negotii aliqua pars fuit,
ac propter illud ab Heriberto
comite quinque menſium car-

cerem ſuſtinuit. Quod ſi propter concuſſam Electionem vmbram tot motus extitere, quid, obſecro, tunc non contigiſſet, ſi corpus fuiſset emotum? Hac verò Synodi ſententia videtur excitatus Otho, qui concilio interfuerat, vt Electiones aliquot Abbatiarum in nonnullis Germaniæ locis obſcuratas in lucem aſsereret. Scribit enim Reginonis continuator. 656. Abbatia „ S. Nazarij in Larsheim electioni „ reſtituitur. 957. Otho Abbatem „ S. Petri in Vuirzeberg ſub ante- „ ceſsoribus ſuis Electionis & pri- „ uilegij dono priuatam, ſtudio „ S. Religionis, dignitati priſtinæ „ reſtituit. 967. Aſulphus Treue- „ renſis Abbas præſenti vitæ ſub- „ trahitur & Thutfridus ſucceſ- „ ſor eligitur. Obtinuerat Otho à „ Leone octauo, vt Carolus Mag. ab Hadriano I. hanc facultatem; ſed illa ſe exuit, vt pii, deique

metuentes omnes principes, intellecta iuris sacri disciplina. Aperta renuntiatio huic iuri facta, quemadmodum & Caroli Mag. & Ludouici eius F. Gratiani decreto inserta est. Alia exempla occurrunt passim apud rerum Gallicarum scriptores, Frodoardum, vndecim eius coætaneos, Rheginonem, Rheginonis & Aimonij continuatores, Abbonem Floriacensem. Quæ cùm, ad extremum sæculi Ludouicus 4. Lotharius 4. Ludouicus 5. Carolinorum nouissimi, paruipendere suscepissent, Cleri ac populij odia maleuolentiámque facile incurrerunt & breui Monarchiam iusto Dei Sacrilegia detestantis iudicio, in Capetiorum familiam importarunt. Sequitur ergo sextum regni Francici sæculum Capetiæ gentis proprium, à 1000. ad 1100. Christi vndeci-

c. Hadrianus d. 63. c. in Synodo. d. eadem c. Constitutio. d. 63. c. Ego Ludouicus ead. dist.

Sextum Regni sæculum à 1000.

mum emetiens. Hugo enim Palatij præfectus 988. vi & principum fauore, reiecto Carolo Lotharingiæ duce, Ludouici Regis, vt ferebatur, veneno sublati patruo, cui ex lege Salica regnum debebatur, Monarchiam adipiſcitur. Tum ei valde fuit opportunum, ad gratiam Cleri & populi demerendam, Religionem fouere, Eccleſiæ auchoritatem, quam nouiſſimi Carolini temerauerant, tueri. Et quamuis ipſius nouo ſtatui ſtabiliendo neceſsarium videretur, præcipuis ciuitatibus & locis paſtores ſuarum partium ſtudioſos præficere, plus leges tamen (inquit Æmylius) quàm noui Regis voluntas & corroborandi ſui ſolij ſpecioſa neceſſitas valuere. Nam vel vnius Seguini Senonum Archi. refragatio Hugonem terruit, ne vel Arnulphum Caroli compe-

titoris sui fratrem nothum Rhemorum Arch. sibi inuisum & propter regiam propincuitatem suspectum à sede deiiceret. Accessit legatus Ioannis Pont. Max. qui Hugonem hortatus est, vt contentus regno, quod immortale optaret in sua domo, cum sene Archiepiscopo & Canonica disciplina bellum non gereret. Ita regnum huius gentis cum Sacramento & fide de Ecclesiæ Gallicanæ legibus, & potestatibus seruandis fundatum fuit. Cuius posteri tenacissimi fuere multis de eo latis legibus, ad vsque Franciscum, qui suorum sacramentorum immemor diuina humanâque iura omnia peruertit & Ecclesiam nostram in hoc malorum barathrum præcipitauit. Robertus Hugonis F. Sancti gradum meruit pro suis in Religionem officiis, fecitque vt Electionis

consuetudinem Synodus Lemouicensis, à qua Regum doctissimus appellatus est, confirmaret, & de ipso Paulus Æmylius ista scriberet, *Cœnobiorum opes profanis proceribus attributas in Francia ostendimus. Robertus Francus rex eum morem soluit, Henricus Rex paternæ sanctitatis in ea re fuit æmulus.* Conc. Rhemense præsentia Leonis noni illustratum idem præstitit 1049. Claromontense Vrbano secundo præsidente 1095. inter cætera rettulit. Philippus I. qui regnare cœpit 1061. adegit capitulum quoddam, vt puerum ad Pastoratum deligeret. Regis studium hoc disticho rythmico, vt ferebant illa tempora notatum est, teste Iuone Carnotensi.

Æmyl. lib. 5 hist. Franc.

Iuo. Carnot. in Epistolis.

Eligimus puerum, puerorum festa colentes,

Non nostrum morem, Regis sed iussa sequentes.

Ex quo duo apparent, Vnum nostratem morem fuisse, Eligere. Alterum, Regem non illum euellere, siue pudore siue metu siue conscientia, sed in libidinem duntaxat flectere aggressum, ne tyrannicè contra leges patrias, quicquam audere videretur. Quare liberarum electionum exempla pleráque supersunt apud eundem Iuonem, Sigebertum, Matianum Scotum, Hildebertum Turonensem, Hildebertum Cenomanensem, Anselmum Laudunensem, hoc vndecimo sæculo de rebus nostris suis scriptis aliqua interserētes,

400. annis in Francia Electiones ante Iuonem viguerant. Iuo ad Pasc. 2.

Vbi maximè notandum Paschalem 2. ab Iuone rogatum vt cum status Galliarum quadringentis fermè annis durauerit inconcussus, caueret ne schisma, quod

Germanico erat Regno (de inueſtituris) aduerſus ſedem Apoſtolicam in Galliarum regno ſuſcitaretur. Sic enim 400. annis ante Iuonem Carnot. 1117. defunctum, ſacras electiones apud nos viguiſſe confirmatur. Hanc verò fœlicitatem in ſeptimum regni ſæculum à 1100. ad 1200. cum Chriſti duodecimo currens, tranſmiſſum eſſe, ita liquet. Rhemis Synodus inſtituta eſt Calixto 2. præſente, qua Henricus Imperator propter inueſtituras hoſtis Eccleſiæ pronunciatus eſt: Ludouicus Craſſus, qui regnum adierat 1110. aduerſus Henricum pro Synodi & Pontificis ſententia bellum ſuſcepit. Sugerius S. Dionyſij Abbas, tunc viuens, plus ducenta hominum millia Craſſo adfuiſſe narrat. Tam alacris erat totius Galliæ concurſus pro

Septimum Regni ſæculum à 1100. ad 1200.

S.Electionibus retinendis. Atque hinc coactus est Henricus exercitum dimittere, cum Pontifice & Synodo redire in gratiam, iniuriæ inuestiturarum cedere. Cessio superius recitata est. Cum autem postea Crassus, non quidem lectitias creationes carpere, sed ius regium esse vellet, ne Episcopi & Abbates se inconsulto eligerentur, hócque pugnaret cum electionum natura, quas liberrimas esse oportet, refutatus est. Nam Radulphus, vt in Apologia narrat Iuo Carnotensis adhuc superstes, Rhemorum Pontifex designatus est, Ecclesiastici ordinis iudicio, non quæsito Regis consensu, & Adamo S. Dionisij Abbate mortuo, Calixto Pontificatum exercente, Sugerius absens, eodem inconsulto electus est. Cumque indignans Crassus bona Cleri propterea vsurparet, à S. Ber-

C. si quis deinceps.

nardo frequenter increpatus territúſque, tandem eiuſdem Bernardi vaticinium ſenſit ac expertus eſt, hanc ſuam prauitatem filij interitu mulctandam. Filius enim Philippus à patre iam in regni conſortium ſumptus, paulò poſt vectus equo, per ſuis occurſum ceſpitante, 1131. ex lapſu periit. Nec deſiit Bernardus donec reſipiſceret, apud Honorium 2. & alios Ro. Pontifices inceſſere & Herodem appellare, qui Chriſtum non iam in cunabilis haberet, ſuſpectum, ſed in Eccleſiis inuideret exaltatum, Ludouicus Iunior 1138. patri Craſso ſucceſſit, regni initio nonnihil indulſit paternis ſtudiis. Tum enim D. Bernardus Epi. 221. eum puerum facit, deinde obiurgat, quod apud Catalaunum paſtorem præfici non ſineret 222. ad Ioſcenſem Sueſſionen-

ſem, & Sugerium Abbatem, quorum obiurgatio ſpectaret, plenius explicat. Habeat rex (inquit) aduerſus Comitem Cāpaniæ ius, ſed quo iure obſecro, quo iure præſumit, vt Eccleſiarum poſseſſiones & terras deuaſtet, *vt Chriſti ouibus paſtores præfici non permittat*, vt his quidem Electorum promotioné prohibebat aliis verò, *quòd hactenus inauditum eſt.* (Nota), dilationem Electionis iniungat, donec penitus deſoletur terra. Sequenti obiurgationem defendit apud Sueſſionenſem, qui ſibi durius reſponderat. Ex quo reſponſo apparet Sueſſionenſem turpiſſimum fuiſſe Regum mancipium, politicum & aulicum adulatorem. Rurſum Schiſmaticos & fomites ſcandali vulgo dictos, qui Regem puerum (ſic enim vo-

cat) in ista sententia fouebant. Prouectior autem resipuit seque propriæ salutis cupidiorē præbuit. *Reuersus* (inquit Thomas Valsinganus) *Ludouicus Iunior de Hierosolymitana contra Saracenos expeditione, cum quidam clericus Roma Papale quoddam priuilegium attulisset, quo in omni Ecclesia Cathedrali sui regni ius conferendi, cui vellet, primam vacaturam cum cunctis fructibus, medio tempore prouenientibus consequebatur, confestim combussit literas dicens. Malo illas hîc comburere, quàm si propter illas in inferno comburerer.* Quod etiam docet creatio Petri Lombardi 1160. in Episcopum Parisiensem, cùm tamen pars Canonicorum Regis huius fratrem delegisset. Leguntur in hunc vsum complures

Thomas Valsinganus in hypodigmate Neustriæ.

D.Bernardi Epistolæ. Centesima quinquagesima prima inscribitur, *ad Philippum Turonensis Ecclesiæ electum.* 164. & 167. agit de conuentu Lingonensis Ecclesiæ ad eligendum Episcopum. Electionem in eo factam tuetur centesima septuagesima ad Regẽ Lud.Iuniorem, *Electio ritè celebrata est. In eo regia maiestas, quod rectè factum est, quo modò imminuta dicatur?* 171. & 172. commendat Falconem Innocentio Pontifici, "absque vlla contradictione & cunctatione, concorditer à suis electum, vtiliter promotum, ritè consecratum, vt ab ipso honoris sui officiique plenitudinem cõsequatur. Epist. 202. hortatur clerum Senonensem, vt destituti Benedicto Pastore suo, de substituendo alio sollicitè satagant, indicant ie-

iunium, accersant Episcopos ,,
Suffraganeos, assensum religio- ,,
sorum, qui erant in Episcopatu; ,,
poscant in commune, tractent ,,
commune negotium, *ne sua so-* ,,
lemnitate fraudetur tanti sacerdotis rite celebranda electio. Reliqua confirmari possunt variis aliorum testimoniis. Hoc enim æuum præter concilia nobis tulit complures Scriptores, Honorium Augustodunensem, Odonem Cameracensem, Hugonem & Richardum Victorinos, Petrum Cluniacensem, Pothonem Presbyterum, Petrum Blesẽsem, Petrum Rhemensem, Ioan. Beletium, Gratianum, Comestoren. Postquam verò peruentum est ad 1200. id est, octauum Regni sæculum, siue decimum tertium Christi, Philippus Adeodatus S. Ludouici auus ante profectionem

Octauum Regni sæculum á 1100. ad 1300.

Hierosolymitanam constituit 1220. vt Canonici Ecclesiarum Cathedralium & Monachi Abbatiarum Regalium eligendi facultatem retinerent, ac idoneos, adeo gratos, Ecclesiæ re-
„ gnóque vtiles deligerent. Edi-
„ cto occasionem dedere, vt ver-
„ ba ostendunt Regalia, id est, Regiæ fundationis monasteria quòd eorum Abbates eligerentur quidem, sed petita à rege venia, quo onere ea nunc absoluit.

1228. Octo annis post S. Ludouicus legem de eadem re promulgauit ac Beneficia Ecclesiastica omnia, ne Regalibus quidem exceptis, secundum ius commune conferri sanxit, deinde post 40. annos id est, 1268. solenni ordinum consulto redintegrauit, constituta sanctione, quam appellari hodie Pragmaticam Sanctionem S. Ludouici suprà docuimus. Postremo ne Succes-

sorum vllus ei decerpere quicquam posset, prætextu priuilegij alicuius Apostolici, diploma ad se Roma missum flammis tradidit, secutus exemplum sanctissimi principis Valentiniani Aug. qui cum ad se deferretur ab Episcopis Electio Episcopi Mediolanensis, respondit. Maior res est, quàm vt nobis conueniat. Vos autem gratia diuina præditi & illius splendore fulgentes melius eligetis. Horum omnium praxis ostenditur testimoniis Conciliorum & auctorum istius Centuriæ. In conciliis numerantur tria Oecumenica Lateranum, cuius Canon 24. totus est de hac re, Lugdunense duo, Parisiense &c. In auctoribus Innocentius 3. & 4. D. Thomas, Vincentius Beluacensis, Durandus Mimatensis. Sæculum Regni nonum à 1300. cum decimo quarto Christi concurrens

Theodo. hist. lib. 4. c. 6.

Nonum Regni sæculum a 1300. ad 1400.

his vestigiis institit. Philippus Pulcher S.Ludouici nepos 1311. Aui Pragmaticam instaurauit, sanctam æternámque esse iussit. Ludouic⁹ Hutinus 1315. vtramque, nempe Sancti Ludouici constitutionem, & alteram Philippi Pulchri Ludouicianæ affinem singulari edicto comprobauit. Cui postea 1351. accessit Ioannis Regis alia confirmatio, vt iam nihil necesse corrogare testimonia Scriptorum & conciliorum huius curriculi, quæ alioqui sunt quamplurima, videatur, quoniam per tot Regum edicta atque iudicia de exequendi facilitate planè plenéque constat. Relinquitur igitur regni sæculum decimum à 1400 ad 1500, Christi decimo quinto congruens, quod quanto propius, tanto certius & paucioribus eget probationibus. In eo Carolus sextus 1406. superiorum

Seculum Regni decimũ á 1400.

rum omnium regum ſanctiones & iudicia renouauit, & priuato edicto, muniit, quod de more publicatum eſt, & in tabellario Curiæ Pariſienſis perſcriptum. Carolus ſeptimus 1438. publicis Bituricenſibus comitiis ſolemniter repetiuit, niſi quòd ad pragmaticam S. Ludouici ſanctionem aliqua non ſatis piè adiecit, quæ ſedis Apoſtolicæ iuribus, & Eccleſiaſticæ libertatis regulis aduerſantur, dum fictis regalium priuilegiis regaliter non Chriſtianè, indulget. Qua etiam ratione factum eſt, vt ad concilij Baſilienſis ſeſſionem vigeſimam primam, titulo de Anna is multa incommodè aſſuerit, quæ efficiunt, ne iam ſit pragmatica Baſilienſis, ſed priuata Regum Franciæ ſanctio. Nam integro de Annatis titulo, quæcunque à Paragrapho, *voluit tamen hæc congregatio,*

Eusebius Epo comes Palatinus lib. 1. Eccleſiaſticarum quæſtionum.

sequuntur, super addidit. Inter quæ, est Paragraphus, *Item quod dicta quinta pars*, non modò Regalium mentionem faciens, à quibus Conc. Basiliense perpetuò abhorruit, verùm etiam beneficia, Regalium ementito jure collata, ab Apostolicæ sedis iure & cathedratico eximens. Propter has maculas sanctionem Carolinam reiicimus, Ludouicinam sanctam & antiquam requirimus & postliminio redire optamus. Ex Carolina interim colligimus perpetui fuisse moris & iuris apud nos per canonicas electiones deferre sacerdotia, neque principes hanc facultatem, inter Regales, vnquam retulisse, vt hodie. Quocirca Ludouicus
1462. vndecimus auditis Pij secundi & nonnullorum aliorum Pontificum rationibus Pragmaticæ probè Turonis renuntiauit, quantum ad iura pontificia. Ne-

que enim hac renuntiatione quicquam electionibus sacris detractum voluit. Nam id mox explicauit, indicto apud Aureliam conuentu, & ordinariis sacrosanctorum principatuum renuntiationibus integrè & illibatè Clero relictis. Carolus autem octauus 1484. simpliciter & absolutius Pragmaticam instaurauit Synodo Turonis habita; ita vt vbi actum fuerat de ea aliquando tollenda vel potius corrigenda, illic referretur, sicque per Ludouicum duodecimum patrem populi ad Franciscum perueniret. Nos non posse vlterius progredi ac sæculum Domini decimum sextum, nostræ verò Monarchiæ vltimum, non consonate superioribus ægerrimè ferimus. Scelere enim Francisci factum est, vt Christianissimi esse desierimus & Christianissimorum elogium tot tantis-

Æmylius.

Seculum Regni vndecimũ, Christi decimum sextum à 1500.

que maiorum nostrorum facinoribus partum amiserimus, inductis pactionibus (concordata appellant) 1, 16. æternarum illarum sanctionum & sanctissimorum iudiciorum peremptoriis, quæ quanta religionis necessitate dissolui discindive debeant, proprio capite deinceps ostendamus.

C. 8. De S. Electionum necessitate.

POstremò igitur & septimo loco eas esse de necessario iure commonstremus. Vt necessarium in humanis dicitur, sine quo Resp. diu consistere non potest: ita in diuinis, sine quo Religio diu permanere in suo statu ac integritate nequit. Quod autem Religio diutius in Gallia absque sacris Electionibus in sua integritate ac gradu

permanere nequeat, etsi nimis id experiamur, ac sentiamus Franciscum per illarum labefactionem Regnum nostrum in hos impulisse scopulos, è quibus emergendi exigua spes videatur, multis argumentis tamen demonstrare non erit alienum.

I.

Absque illis Concilium Tridentinum apud nos planè vigere ac executioni mandari non potest, ac ita iudicatum est à cunctis Galliæ conuentibus, vtrôque Blesensi, Melodunensi, Germaniano, Parisiensi. Alioqui quo pacto satisfaceremus decretis, verbi gratia, de obedientia Monachorum erga Abbates, Canonicorum erga Episcopos, quos pro lupis habent, de compellendis ad officium & antiquam virtutem Clericis, de Seminariis. De restituendis ad suam disciplinam Monasteriis,

& eis ad statas congregationes & Capitula reducendis. De Exemptionibus. De Residentiis. De Vnitate Sacerdotiorum. De canonicis prouisionibus. De Hæreticis ex Ecclesiæ præbendis & dignitatibus deturbandis. De nothis & spuriis ad potestates Ecclesiasticas non admittendis &c.

2.

Absque illis scandala exoriri & vigere necesse est, quæ vel in Sede Apostolica apparuerunt, quandó apud illam per annos 150. cessauit electio. Ab an. 892. ad vsque 1048. id est, à Formoso vsque ad Damasum 2. quadraginta vnus Pontifices sibi per ordinem succedentes nullius extitere virtutis, quòd ab imperatoribus Germanicis fuissent obtrusi, non lecti, & per Posticum, id est, per Imperatoriam vim & tyrannidem, non per

Ostium .i. Canonicam Electionem ingressi. Vix inter tot Ioannes 19. laudatur ab aliquot virtutibus. Quare non Apostolici, sed Apostatici à Platina vocantur. Si in viridi ligno hoc contigit, in arido quid fiet?

A boue maiori discat arare minor.

3.

Necesse est occurrere hæresibus præsentibus & Cathedras Catholicas ambientibus. Aliter occurri non posse etiam ipsi hæretici vident ac fatentur. Matthias enim Flaccus Illyricus ideo Principes & Magistratus Germaniæ laicos ad inuadendam istam facultatem accendit, quia, inquit, Canonici & Monachi eligunt duntaxat Episcopos & Abbates papistas, nunquam Euangelicos. Sic ipsius iudicio non haberet hodie Gallia tot præsules Lutheranos,

tot Caluinitas, tot Zuinglianos, tot Atheos & Atheismi publicos professores.

4.

Lucius Pontifex & Martyr an. 154. Leo magnus 442. Patres Antiocheni 340. canone decimo nono, Toletani 626. canone decimo octauo, quarti Constantinopolitani 867. integro concilio Oecumenico, Lateranenses mille trecenti triginta sex 1205. iura hæc, tanquam spiritualia, in laicos vllos cadere non posse, definiuerunt. Imp. Iustinianus principio Const. Nouellæ Sextæ, & pontifices ipsi confitentur. Consimiliter Conc. Laodicenum ante annos 1200. Conc. Martini Papæ apud Martinum Bracarensem ante 900. Nicenum secundum ante 800. Octauum œcumenicum ante 700. interdixerunt ne laici deligant, néve se

c. Hadrian. dist. 63. C. Bene quidem. dist. 96 C. Si Episcopus, &, si quis deinceps 16. q. 7. Laod c. 13. Bracar. c. 1. decret. Nicen. c. 3. Octauum. c. 28.

Electionibus intermiſceant.

5.

Electionem enim Paſtorum ad Collegia Eccleſiaſtica pertinere,eoque iure illis vtendum eſſe,Saluis Sedis Apoſtolicæ iuribus, ex eo perſpicuum eſt, quòd cum Epiſcopus Eccleſiæ ſponſus ſit, & matrimonium quoddam ſpirituale inter ipſum atque Eccleſiam contrahatur,neceſſariò cenſenſus Eccleſiæ,tanquam ſponſæ,interuenire debet,

6.

Quoniam nulli melius iudicare poſſunt , qualis ſit eligendus quàm hi qui ſunt Conſiliarij & cum Eligendo regunt,optiméque norunt negotia : dubium non eſt,quin Collegia ipſa Eccleſiaſtica idoneos paſtores multo rectius creare valeant, quàm ſi in aula Regia, in qua ſapientes,docti,probi, virtutiſ-

que ſtudioſi ſunt incogniti vel ridiculi, vt Anaxarcho referebat Indus Gymnoſophiſta, nominarentur. Addendum quòd Reges ſolent amare Aſinos, vt cum voluptate & lætitia Palatinenſium Idolorum myſteria portantes, odiſſe literatos, tanquam humaniores tetriorisque vitæ cultores. Quo pacto enim amarent literas, quas nunquam didicerunt, vt de illis, præſertim Occidentalibus vetus ſit verbum. Adeo imperitus eſt vt Rex eſſe poſſit. Qualis noſter Ludouicus vndecimus, qui nihil prorſus ſciebat, ſed nec quicquam filium ſcire Latine patiebatur præter.

Heſych. Illuſtr. us in vita Pyrrhonis.

Neſcit regnare, qui neſcit diſsimulare.

7.

Poſtquam perfecta abſolutaque Electio, proponuntur programmata. In vitam, mores, Re-

ligionem, natales, eruditionem, prudentiam Electi inquiritur. Et antequam à summo Pontifice Electionis confirmatio petatur, qui intercedere voluerint, audiuntur. Ita rectius probari & explorari queunt, qui à Collegio constituuntur, quàm ab aula Regia, vbi nec perspecta sunt proborum merita, nec quicquam obtinetur nisi fauore, gratia, adulationibus, prauis obsequiis, corruptelis.

Lampridius in Alex. Seuero.

8.

Cum pastor solenniter & Canonicè à collegio renuntiatur, confirmaturque, seruata programmatum & inquisitionum formula, maioris certe est existimationis, vehementiùsque obseruatur, colitur, ac diligitur à populo, Canonicis, Cœnobitis, quàm si ipsis inuitis, neque postulantibus obtrudatur. Itáque doctrina eius multo fru-

ctuosior est atque, ad ædificandum efficacior.

9.

Hinc tametsi D. Petrus Christi vicarius esset, Ecclesiæque caput, nec propter Spiritum Sanctum in se inhabitantem in Nominando errare posset: tamen mortuo Iuda, qui vnus erat Apostolorum, Collegium discipulorum Christi delegit ac sors cecidit super Matthiam, quemadmodum in Apostolorum actis legitur. Quo exemplo hodieque Pontifex, à se motu proprio expetitum ad sacrum Cardinalium consistorium defert, eorumque approbatione pastorem constituit.

Act. 1.

10.

Ex quo primum orta est in orbe Ecclesia vsque ad S. Ludouici sæculum, id est, annum plus 1270. nusquam reperiuntur summi Pontifices impediuisse, quo-

quominus libertate ista Nostrates Ecclesiastici fruerentur. Quin potius eam adiuuerunt, auxerunt, propugnarunt, editis memorabilibus constitutionibus, ex quibus eos constat fuisse vehementer sollicitos, vt rectè, decenter atque ordine Electiones celebrarentur. Quæ in decreto Iuonis Carnot. & Gratiani, Decretalibusque Gregorij de hac materia leguntur, plenissimam fidem faciunt, Tanto profectò studio, tamque insigni zelo, vt in postulationibus ipsis, infirmata postulatione, ad Eligentes totum negotium remitterent, vt eligerent denuò. C benæ, de Postul. Prælato.

II.

Post mortem D. Ludouici astiterunt faueruntque Philippo Pulchro an. 311. Ludouico Hutino 1315, Ioanni 1351. Carolo sexto 1406. D. Ludouici de hac re constitutionem pro-

priis edictis confirmantibus. Sic florebat Ecclesia nostra, religio per Nostros propagabatur & ad barbaras nationes deferebatur, fides Catholica extollebatur, bonis tum spiritualibus tum temporariis luxuriabant omnia,

12.

Pii reges omnes, cùm Ecclesias regni sui rectè ordinatas cupiuerunt, hanc prouidendi Ecclesiis rationem, maximè omnium, tanquam neruum Religiosæ disciplinæ, probauerunt eámque modis omnibus conseruare perpetuò studuerunt. Hoc docet Vincentius Speculator, prolato inter cætera Clodouæi Regum Franciæ primi exemplo. Cui S. Roberti, Henrici 1. Philippi Adeodati. S. Ludouici Philippi Pulchri, Ludouici Hutini, Ioannis, Caroli sexti, Caroli septimi, Caroli octaui, Re-

gum denique nostrorum pene omnium exempla & constitutiones adiici queunt. Profectò si Resp. ciuilis suos ministros & Magistratus in probe ordinata ciuitate sibi deligit, quidni Ecclesia sancta & gloriosa Dei ciuitas de suis sibi eo modo, si non meliore, prospiciet?

13.

Imperatores idem probarunt & instituerunt. Inter eos Valentinianus senior, in Theodoriti historia Ecclesiastica, Leo & Anthemius in Iustinianeo codice, Carolus Magnus & Ludouicus Pius in Ansegisi Abbatis Capitulis. Quin etiam Moscorum & Abyssinorum Imperatores hodie Metropolitas suos, ille è Constantinopolitano Patriarcha, hic ex Alexandrino non inuiti accipiunt, & Præsulatuum aliorum tam episcopalium quàm cœnobitico-

Theod. lib. 4. c. 6.

Anseg. lib. 1. Capitulorum.

Sigism. Herbestanus in com. Moscouiticis.

rum cooptationem partim ele-ctionibus partim ſortibus liberrimam relinquunt. Quod autem eorum aliqui aliter ſe aliquando geſſerint, factum eſt vi, impietate, & tyrannide, vt quando Græci Imperatores in Electione Romani Pontificis interueniebant à Iuſtiniano ſeniore ad Conſtantinum 4. vnde eam conſuetudinem D. Gregorius Tyrannicam vocat, nec inuenitur pius aliquis Monarcha, qui eo iure diu vti voluerit, quantumuis priuilegio Apoſtolico munitus. Hinc renuntiationes Ludouici Pii, & Othonis primi, diſt. 63.

Ionius in legatione Moſcouit. Aluareſius in Æthiop. hiſt.

Greg. in 4. pſ. pœnitentiale.

C. Ego Ludouicus & c. Conſtitutio diſt. 63.

14.

Et certe ipſis ipſorumque Monarchiis commodior atque vtilior eſt Ordinaria eligendi ratio, Sic enim euadunt Aulicorum importunitates, odia & offenſiones, vitant infinitas cauſas

atque semina factionum intestinarum, habent Ecclesiam gratiis spiritualibus affluentem, pauperes regni alentem, viris probis doctisque, qui populum in ipsorum obedientia & amore, exemplis & verbis contineant abundantem, opibus florentem, quibus ipsi in necessitatibus & negotiis promptè succurri possint. Non fiunt obnoxii prouinciarum & ciuitatum querimoniis & obtrectationibus, pauperum execrationibus & maledictis. Et, quod caput est, effugiunt Dei præpotentis indignationem, quam perspicue & prodiosè in Francisci vniuersam sobolem ostendit.

15.

Consuletur honori & existimationi Romanorum Pontificum, in quos crimen Monarcharum, qui nuncupandorum Præsulum ius sacris collegiis erep-

tum sibi asseruerunt, palam & publicè deriuatur, & quidem à viris probatissimis & laudatissimis. Inter eos fulget Martinus Cromerus Vvarmiensis Episc. Magni illius Cardinalis Hosii successor, qui de ea re longam querimoniam & lamentationem instituit, culpa simul in summum Pontificem nimis inuidiosè reiecta. Itemque Tilius Episc. Meldensis & nostri penè omnes, apud quos Leonis decimi recordatio in detestatione versatur, disticho ex ore omnium volitante.

Crom. lib. 25. de Rebus Polo.

Prata vorat mulier frendens Leo redit vtrumque.
Prata, Leo, Mulier sulphuris antra petant.

Nam Leo, Regina Francisci mater & Cancellarius à Prato antiquatarum Electionum habebantur auctores.

16.

Consuletur Pontificum Maxx. Conscientiæ, in quos ipsi etiam reges scurriliter culpæ inuidiam refundunt. Testis nostrorum Ludouicorum vnus, qui Pontifici Rhemos profecto & stupenti, quòd ciuitatis Archiepiscopus factus esset iuuenis, magistris flagrisque adhuc persæpè indigens respõdit. *Sancte quidem. Sed non existimabam tuam Sanctitatem eum admissuram, neque propter meas temerarias, & sæpius extortas commendationes Apostolica authoritate abusuram. Data est enim ad ædificationem, non ad destructionem.* Idcirco 2. Cor. 10. rectè Hadrianus Leonis 10. successor, cum intelligeret quantum per Electionum recentem abrogationem Pontificiæ Conscientiæ, periculum creatum es-

ſet, Nuncupatos à Rege Franciſco Romam venire iuſſit, vt examinatos, ſi aſini & minus digni viderentur, reiiceret, neque Regiis peccatis communicaret. Meminerat Principes, qui alienis videntes oculis, vel alienis auribus audientes praue rebus proſpiciunt, Dei iudicium ſubituros, verúmque eſſe nimis, quod Imp. Aurelianus apud Flauium Voſpicum memorat, *Nihil difficilius, quàm bene praeeſſe. Princeps facit iudices, quos fieri non oportet. Amouet, quos oportebat retinere. Quid multa; bonus, cautus, optimus venditur Imperator.*

17.

Conſuletur eorundem poteſtati & iuribus. Nam Pontifex diſtinctius agnoſcetur caput Eccleſiæ Gallicanæ, dum de iure Regis circa vocationes & ordi-

nationes paſtorum, diſtributionem Beneficiorum & perceptionem fructuum, vacante ſede, nullus diſputandi locus Duareno & affinibus impiis relinquetur. Clarius etiam prædicabitur Ordinarius Ordinariorum & Epiſcopus Epiſcoporum, dum ad ipſum confirmationis ius ſibi diuinitus attributum rectà & fideliter deferetur, nec per Oeconomatus regios, aliâſve artes Politicis egregiè cognitas auertetur.

18.

In pleriſque monumentis antiquis reperitur permultos fundatores Eccleſiarum diſtinctè & nominatim ſtatuiſſe, vt mortuis Eccleſiarum paſtoribus per Electionem ipſis prouideatur. Quas fundationes ſummi pontifices confirmarunt, vt eas abſque ſcelere & ſacrilegij nota nulli principes violare poſſint. Tran-

fierunt enim per dedicationem in ius diuinum, votorum instar, *Testamentum*, inquit Apostolus, *hominis confirmatum, nemo spernit aut superordinat.* Sumit pro indubitato Axiomate humano naturali & diuino non licere testamentum semel ritè factum & constitutum siue vt ipse loquitur κεκυρωμένην authenticatum ἀθετεῖν *irritum facere, abrogare* & ἐπιδιατάσσεσθαι, *superdisponere*, i. aliter disponere aliter ordinare (addendo, demendo, immutādo) vt cōcludat Promissiones Abrahæ factas, tanquam testamentarias, esse immutabiles & irreuocabiles, neque cadere sub dispensationem.

19.

Vitabuntur incommoda grauissima quæ ex Regiis promotionibus nascuutur, Ecclesiarum

ruina atque euersio, Totius ordinis Ecclesiastici confusio, Sacrosāctarum potestatum propter indignissimas vocationes contemptus, Ædificiorum & prædiorum vastitas, quam si quis in posterum restituere cupiat, vix ac ne vix quidem possit. Disciplinæ Monasticæ profligatio, cultus diuini extinctio, fundatorum frustratio, ea rerum omnium diuinarum profanatio, qua non alicuius oneris vel officij causa pingues præsulatus vllus consequi videatur, nisi vt à Colono quopiam vel conductore rationes exigat, reliqua rapiat & absumat, adeo vt perinde sit esse Episcopum vel Abbatem, ac alicuius regionis euersorem & Alastorem. Vtinam potius Dominum vel hæredem, quoniam fundi Domini & hæredes frequenter hæredibus illibatè fundos & patrimonia

conseruant, serúntque arbores, quæ alteri sæculo prosunt, cum isti nihil sanum & inuiolatum successoribus relinquant. Sed nec Eligentes vnquam præficient fœminas, Virorum Monasteriis vel Episcopatibus,& saltem illud Ecclesiastici implebũt, *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.*

Eccl. 16.

20.

Hæc autem incommoda ad Nominationes regias, necessario sequuntur, nempe ex natura Rei, non modo vitio Nominantium. Nam sunt monstrosæ, iuri naturali, diuino, gentium contrariæ. Episcopi enim sunt pastores Reges veluti oues Heterogeneæ naturæ. Ratio autem naturalis apertissimè docet ouibus heterogeneis non conuenire vt deligant pastores & eis ius tribuant (spirituale) quo carent, cum hoc ad sacrorum gu-

gubernationem & regimen pertineat. Atque id fatetur epistola ad Arsacium Idolorum pontificem Apostata Iulianus. Addit Chrisostomus prodigio simile, vt vocent hi ad religiosas præfecturas, qui nihil norunt, nisi de temporalibus iudicare. Sic pessimos quosque præficiendos, optimos negligendos. Quando autem à clero tanquam ab Homogeneis eliguntur improbi, id non contingit ex rei natura, sed per accidens. Vitio videlicet Eligentium, quod quo pacto sanandum sit vltimo capite declarabitur. Esset rationi congruentius, & iuri diuino affinius, vt Sacerdotes darēt regna & politicos omnes magistrat⁹, quàm Reges Sacerdotia, quoniā, vt inquit Ambrosius, *veteri iure à sacerdotibus dantur imperia, non vsurpantur. Est autem inauditum*, ait D. Ber-

Chry. lib. 3. de Sacerd.

Amb. lib 5 ep. 33. Ber. epist. 237.

nardus, *vt Reges Christi ouibus pastores præficiant, aut his electorum promotionem prohibeant, vel dilationem Electionis iniungant.*

21.

Postremò vt priuilegia aliquãdo concedi potuerint, quòd necessaria pro tempore viderentur ad Ecclesiæ defensionem: at hodie penitus rescindenda sunt, vt Hæresis Anglicanæ, quæ animos Politicorum mirabiliter fascinauit, peruagatio in Catholicas regiones cohibeatur, & Circeium poculum, quo Reges inebriati, cæteros etiam, præsertim aulicos & seruos inebriant ac sopiunt, ne videant, néve agnoscant aliud Ecclesiæ suæ caput, quàm quòd sibi beneficia Ecclesiastica distribuit, in solum penitus effundatur.

Cap. 9. De illarum propriis notis & fructibus.

CVm igitur Canonicæ Electiones tot nitantur iuribus, id est, sint de diuina traditione. 2. de Apostolica obseruatione. 3, de iure Ecclesiastico. 4, de iure Ciuili & Imperatorio. 5, de iure Gentium & Ethnico. 6. de iure ordinario & perpetuo. 7. de iure ad religionem in sua integritate & splendore conseruandam necessario, non est mirandum, si tantopere à probis expetantur. Sunt enim in primis VIA SPIRITVS SANCTI, quemadmodum è superioribus colligitur. Haud dubie, quoniam Spiritus Domini assistit suis institutis, exaudit preces Ecclesiæ se inuocantis, Sacrum de Spiritu Sancto operantiś exorat, & quod Fi-

Elect. Via Spiritus sancti.

lius de se promisit solenniter, *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, non alienum à semetipso existimat. Ea ratione viam, qua vtebantur Apostoli ad Ministros Ecclesiæ designandos Apostolus ad Corinthios Deo attribuit, & ad Ephesios Dei filio: Cæterùm vtebantur Canonica Electione, quemadmodum è Clemente & Dionysio ipsorum auditoribus & discipulis suprà explicatum est. Rectè autem Apostolus. Concurrunt enim tres diuinæ personæ æqualiter ad institutam à se actionem gubernandum, in populi sui vtilitatem, salutemque dirigendum & disponendum. Ob eamque caussam illud Aristotelis verum est. *Qui legem vult imperare, Deum vult imperare, qui Regem bel-*

Matth. 18.
1. Co. 12. Eph. 4.
Clem. lib. 2. & 8. Constit. Apost. Diony. c. 5. de Eccl. Hierar.
Arist. in Politicis.

luam, quòd non semper ratione, sed ferè cupiditate ducatur. Itemque Demosthenis, *Regium nomen cunctis ferè liberis gentibus, semper inuisum fuit quòd suauius sit obedire legibus. i. Deo & rationi, quàm Voluntati. i. Libidini vnius, qui plerumque prauus est & nimia licentia dissolutus.* *Demost. In Olynthiacis.*

2.

Ioan. 10. *1. Tim 4.*

Sunt Ostium & prophetia. Ostium quidem, per quod qui ingreditur bonus, verus, & legitimus censetur Pastor, vt per aliam viam ingressus, fur, latro, lupus, vulpes, mercenarius. Quales proinde antiqui maiores in ouile per posticum, vel fenestram vel rimam intrasse dixerunt. Prophetia vero, quoniam Propheticæ. 1. Ecclesiasticæ

professionis viris sunt, & Prophetas constituunt, & quando opus est Prophetico spiritu inspirant. Prauos corrigunt, probos meliores reddunt, cunctos penè mutant in viros alios. Brixios ex D. Martini perditis hostibus sanctos sectatores & successores faciunt. Hic mutatio dexteræ excelsi legitime vocatos afflantis, & gubernantis, nec facile errare permittentis. Hic sæpe miracula visibilia, vt in D.D. Matthiæ, Fabiani, Nicolai, Ambrosij, electionibus apparuit.

Seuer. Sulpitius in vita D. Mart.

Eus. lib. 6. hist. c. 20.

3.

Sunt constitutio Apostolica, institutio Ecclesiastica, vocatio Canonica, via ordinaria, missio ordinaria, statutum Canonum, Praxis Ecclesiæ, quemadmodum in suis Capitulis Carolus Magnus & Ludouicus Pius confessi sunt. Ob eamque causam D. Ber-

Clem. Const. Apost. lib. 2. c. 3.

nardus Leodij sese opposuit Imperatori priuilegium inuestituræ poscenti ab Innocentio, qui eò venerat. Et Petrus Venerabilis, non curato Rege, Clerum Luxouiensem cum populo & tota simul Ecclesia, morte Episcopi sui Arnulphum Archidiaconum sibi in Pontificem elegisse, notat. Et Radulphus in Leuiticum, Mosem, Aaronem & filios eius consecraturum Leuitas & Turbam congregauisse, vt iam hinc Christianorum Pontificum Electioni & Consecrationi formam præberet, qua scilicet à Leuitis cum assensu populi constituantur. Denique Cypryanus & multi alij Africæ Episcopi, *solam ordinationem esse iustam & legitimam, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata.*

In vita B. Ber. lib. 2. c. 3.

Petr. Venner. lib. 5. epist. 6.

Rad. lib. 6. Levit. c. 1.

Cyp. epist. 68.

4.

Sunt magna virtuti & literis

vacandi illecebra. Etsi enim virtus propter se expetenda sit & mirabiles sui amores per se & suapte vi gignat, consimiliter disciplinæ sponte & suapte natura capessendæ sint & incredibilem per se voluptatem pariant: tamen honor alit artes, & virtus laudata remunerataque crescit. Deinde Respublica continetur pœna & præmio. Pœna in ingenuis maxima æstimatur dedecus, deiectio, in imis volutatio, quæ proinde illorum ignauiam exuscitant, à vitio arcent, studia incendunt. Præmium, vt dicebat Plato, est ala ad virtutem, ac vt hamo pisces, ita probi adolescentes honestis præmiis capiuntur. Quid mihi cum virtute, plerique aiunt, cum per flagitia & vitæ turpitudinem æquè aut celerius possim honores adipisci? Quid tentabo disciplinarum studiis, la-

boribus literariis, ardua virtutis semita, quod pecunia, vel adulatione, vel prauis obsequiis, & perniciosis in Remp. officiis à Rege proponitur. Quanquam qui seriò Spiritu Domini aguntur, non in his humanis cogitationibus versantur; quin potius honores contemnunt, opes negligunt, vni virtuti vacant, vnica salutis suæ cura tanguntur, apud se ingeminant illud Chrysostomi, *Præsulatus est cura salutis alienæ. Deo nolo reddere alterius rationem. Mihi meæ rationes sufficiunt.* Illud præterea Psalmographi animo agitant. Quid mihi in cœlo præter te volui, quid super terram?

Chrys. lib. 6. de Sacerd.

Ps. 72.

Suspiro ad Dominum, non est mortale quod opto.

Futilis ô mundi fastus honorque vale.

5.

Sunt vna è fundamentalibus regni nostratis legibus quas qui conuellere nitetur, Principatum eius accipiat alter, imprecatur B. Remigius. Iactam autem esse hanc cum primis Regni fundamentis per Synodos à Clodouæo primo Rege collectas & comprobatas testis est Vincentius speculator, & docet perennis eius obseruatio per singula regni sæcula ad vsque Franciscum I. Hanc igitur dum tota animi contentione requirimus, nostra duntaxat nobis reddi flagitamus, & à nostris ceruicibus diras imprecationésque Remigianas auerruncari precamur.

In testamento D. Remigii apud Frodoardum.

Vincent. histo. lib. 22. & 23.

6.

Sunt confirmatio consecrationum & dedicationum, quas fundationes vulgo appellamus. Ea enim lege Ecclesiæ, maximè

Episcopales & Cœnobiticæ à fidelibus Deo consecratæ sunt, vt in locum demortuorum antitistum, iuxta leges Canonicas, & disciplinæ pontificali monasticæque consentaneas, non aliter, alij perpetuo substituantur. Dubitari autem non potest, quin leges Episcopales & Monasticæ sint hæ, si quæ suprà docuimus tam prolixê, verè à sanctis maioribus conscripta & prodita sunt, omniúmque habetur vox, & quidem Ethnicorum, per consecrationem Sacerdotia exiisse simpliciter de iure regali & profano in sacrum & Ecclesiasticum Nam etiam apud Ethnicos dedicationib. tales leges dici solebant, quas nec attingi, abrogari, derogari, violari, mutari, impediri vllo modo posse crediderunt. Et quibus lex non erat dicta, intelligi contineri lege communi & ordinaria Dianæ

D. Benedictus in Reg. c. 64.

Macr. lib. 3. satur. c. 7. Plin. lib. 10 Epist. Cic. pro dom. sua & de Arusp. Resp.

Auentinæ. Sic enim loquebantur atque hinc, LEGVM DILECTIO, species quædam Augurij, quam transgredi Auguri erat nefas, MOREM DEDICATIONIS vocat Plinius Traiano scribens, LEGEM DEDICATIONIS Traianus Plinio rescribens. SACROSANCTI genus, cuius meminit Cicero. Sacrosanctum autem dicebatur, quod latum erat capitis consecratione, aut legis obtestatione, huiusmodi videlicet Sanctiones sacrabantur (inquit Cicero) aut genere ipso, aut obtestatione legis, aut pœna, cum caput eius, qui contrà fecisset, consecrabatur, & homo fiebat sacer, quem occidi ius fuit. Ita isti, qui contra fundationes faciunt, ac Ecclesiis contra ipsarum dictas leges, morem, Sacrosancta prospiciunt, cum Pagani in impiorum sceleratorúmque numero habeant, qua

Seruius in 3. Æneid.

Plin, epist. lib, 10.

Cic. pro Corn. Balbo.

ratione Christianis tolerandi censeantur? 7.

Sunt executio piorum testamentorum, commendationúmque piè Morientium. In fundationibus enim testamentariis ferè asseritur, vt mortuis, Ecclesiarum præsertim Abbatiarum, præfectis per Electiones canonicas ipsis prouideatur. Non licet ex Apostolo testamentum confirmatum spernere, vel superordinare, Vt in publicis nihil lege grauius, ita in priuatis firmissimum testamentum esse debet, ex Cicerone. Publicè interest, inquiunt Iurisconsulti, suprema hominum iudicia exitum habere. Et Augustus ipse Cæsar.

Gal. 3.

Cic. Phil. 3. l. vel negare D. Testament. quemad. aper.

Est legum seruanda fides suprema voluntas.
Quod mandat fierique docet, parere necesse est.

In Epig. Virgilii.

Referti sunt Paganorum libri hac sententia, in summum Nostrorum dedecus, & æterni ignis præiudicium. Impij profecto est animi, nihil de immortalitate cogitantis, neque quicquam eorum quæ futura sunt sentientis, testamenta commendationesque morientium non curare. Interit omne ius, omnisque potestas, si viui neglexerint imperia mortuorum. Neque enim aliud solatium videtur mortis, quàm voluntas vltra mortem. Alioqui potest videri graue, etiam ipsum patrimonium, si non integram legem habet, & cum omne ius nobis in id permittatur viuentibus, auferatur mortuis. Itaque cunctis moribus & legibus comparatum est, vt quoties fieri potest, defunctorum mandata impleantur. Testamentorum quippe autoritas semper fuit sacrosan-

Cic. 1. Tusc.

Senecæ cont. 3.

Quintil. decl. 308.

cta, adeo vt Theophilus Græcus institutionum ciuilium interpres ea ob gentium penè omnium in illorum ius consensionem, è Iuris gentium fontibus manasse doceat. Quàm scelerati igitur sunt Principes, quàm impij, qui contra ius diuinum, contra ius gentium, contra mores vniuersos, contra leges ciuiles, testamentorum vi atque auctoritati non obsequuntur, & defunctorum supremam voluntatem, mandataque auertunt.

Cap. 10. Et ult. de Aduersantium incommodis, verius quàm rationibus, & tribus remediis.

AT, inquis, multa ex Cleri Electionibus exoriuntur scandala, multæ corruptelæ & deprauationes. Neque enim aduersus eas vllæ aliæ rationes adduci possunt. Respondeo. Nul.

læ ſunt leges, quibuſcunque numeris abſolutæ, quantacúnque prudentia & cautionibus inſtructæ, quæ proſpicere & modum imponere per omnia vnquam poſſint hominum ſceleribus, ambitionibus, auaritijs, fraudibus, prauis denique artibus, quibus illi ad opes, honores, poteſtates tum politicas tum Religioſas enituntur. Vetus autem verbum, propter abuſiones, res non eſſe tollendas, ac præſtat vt relinquantur, quàm aboleantur, vel in nouas & extraordinarias vertantur, quoniam, vt pulchrè ait Philo, aliquod eſt ſolatium, etiam in pœnis, quando ita res, vt ſunt, ſinuntur. Alioqui tollamus Euangelia, quia illis abutuntur heretici, tollamus Apoſtolos, quoniam Apoſtolatu abuſus eſt Iudas, vt Apoſtolico diaconatu tam ſolenniter delectus Nico-

Phil. in Flaccum.

Act. 6.

laus Antiochenus. Ad extremum ipſum Deum valere iubeamus, quòd propter ipſius diuinam Eſſentiam & hypoſtaſes tot contentiones, tot ſcandala extiterint, non modo inter Chriſtianos, verum etiam inter quarumlibet Religionum profeſſores, quaſi præſtet nullum ſentire Deum, quàm ſentire tot tantiſque dubitationibus ac difficultatibus inuolutum. Deinde multo plura & deteſtabiliora ſcandala exoriuntur è Regijs denunciationibus. Adeo certè perniciosa religioni, vt peſſimus electorum ſoleat longè optimo nominatorū eſſe melior. Vtilior certè Eccleſiæ, dum prauus iſte Electus ſiue pudore & metu notæ hypocriſeos, (non enim ſolet eligi apertè improbus) ſiue conſcientiæ ſtimulis, ſiue alia occaſione, inſtar Iudæ, pauperum curam habere ſe ſimulat, con-

cionatur, suas vtcunque functiones exercet, residet, non adulatur Principibus, eorum aulas non sectatur, vbi suas vel potius Christi pauperum opes decoquat, & pecuniam in restaurationem locorum sacrorum & pauperum alimenta impendendam planè deuoret. Ac vt nominatus sit alioqui probus & cætera ritè exequatur, at non poterit obedientiam à canonicis & Monachis obtinere, neque eorum animos sibi cõciliare, qui naturali quodã odio & iusto impetu oderũt nominatos tãquam *Abortiuos Religionis filios.* Postremò obiicientibus, electores non idoneos creare, respondendum id fieri vitio eligentium, non rei natura, ideoque si quid in eo delinquerint, corrigi illos ac puniri oportere. Facilè verò posse, quoniam legibus subiiciuntur & parent, non vt

Ansel. Cantuariens.

C. graue de Præbendis.

Monarchæ, qui legibus scelerate imperant, se supra eas Tyrannicè extollunt, illas, sicut crassiora animalia Aranearum telas perrumpunt. Modus corrigendi est promptus, tribusque rebus expediri & absolui potest, Pœnæ sanctione, Programmatis, siue inquisitionum formulis, præscripto & definito Eligendi ritu. Hæc docent Canones, docent leges, docent patrum scripta, quæ si ad vsum reuocentur, corruptelis nullus permanebit locus. Canones è conciliorum tomis, Gratiano, Pontificum decretis repetantur. Inter leges, ista ponitur, *Præ omnibus illud seruari sancimus, vt nullus per suffragium auri, vel aliarum rerum Episcopus ordinetur. Si quid tale committatur, & qui dat, & qui accipit, & qui mediator eius fa-*

Tria remedia aduersus Eligentium corruptelas.

Auth. de Sanctiss. Episc. §. si quis, & apud Iu'ia. Patr. const. 215.

ctus est Sacerdotii aut Cleri honore remoueatur. Si vero laicus forte pro hac causa aliquid accipiat aut mediator rerum factus est, datas res in duplum ab eo exigi iubemus Ecclesiæ vindicandas. Non solum autem, quæ secundum hunc modum dantur, vindicari præcipimus, sed etiam omnem cautionem pro hoc, quolibet modo expositam, & pignorum, vel fide iussorum dationem vel oblationem & omnem quamlibet aliam actionem cessare sancimus, vt ille qui promissionem accepit, non solum cautionem sed & duplum, quantum cautio continet reddere compellatur.

Greg. lib. 2. Dialog. Inter Patres D. Benedictus in Regula, quam discretione præcipuam, sermone luculentam conscripsit, Gregorio Magno

gno auctore, his corruptelis peculiari capite prospexit. D. Bened. Reg. c. 64.
In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, siue etiam pars, quamuis parua, congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito & sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiam si vltimus fuerit in congregationis ordine. Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis, (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio delegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi, ad cuius diocesim pertinet ipse locus, peruenerint, vel Abbatibus, vel vicinis Christianis claruerint, prohibeant prauorum præualere

consensum & domui Dei dignum constituant, dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud castè & zelo Dei faciant, sicut è diuerso peccatum, si negligant.

a. Remedium Programmata siue inquisitionũ formulæ Clem. Const. Apost. lib. 2. Tert. Apol. c. 39. Orig. Ho. 6. in Leuit. Bonifac. c. vlt. de Electio. lib. 6

D. Benedicti sententiam Programmata & inquisitionum formulæ à maioribus nostris iam ab ipso Ecclesiæ principio institutæ expletu facilem efficiũt promotionibus furtim fieri perpetuo iure prohibitis. Quo exemplo Alexander Mammeæ Imp. motus voluit vt in futuris Prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita, generali proclamatione vocarentur, qui sese vellent opponere. Sic non nisi Pastores creabuntur qui ornatæ vitæ testimonio probataque fama commendabuntur à populo, cum quo & inter quem

Lamprid.

versati sunt. Oportet enim Episcopum esse irreprehensibilem, id est, non obnoxium reprehensioni hominum, & vt D. Paulus subiicit, oportet illum testimonium habere bonum, ab iis qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli. Non quod populus eligere debeat, sed quod electionem fieri oporteat populo vel præsente, vel per Programma consulto, & in testificationem aut accusationem admisso. Alioqui popularis electio veterum conciliorum decretis interdicta est, quod sit obnoxia tumultibus, vt historia turbulenta Pliniani docet apud Augustinum, & Mediolanensium dissẽtio apud Ruffinum & sanguinaria Damasi promotio, in qua 137. meati memorantur apud Ammanum Marcellinum Ethnicum historicum, itemque Augustinum at-

1. Tim. 3.
Tit. 1.
Marcell. lib. 27.
Hiero. in Chro.
Aug. contra Donat.
Aug. epist. 225. & 110.
Ruff. hist. lib. 2. c. 11.
Laod. cã. 12.
3. remedium certus & præscriptus modus Eligendi.

que Hieronimum. Accedit post sanctam numinis inuocationem, Sacrum de Spiritu sancto, religiosas feruentesque alias Ecclesiæ preces triplicem duntataxat Eligendi viam ab iisdem maioribus esse propositam, contra quas, qui eligere aggressi fuerint, tecticio iure exuuntur, & aliis canonicis pœnis subiiciuntur. Prima dicitur per inspirationem Spiritus sancti, cum duæ partes non expectato scrutinio, voce tenus, omnium consensu & voluntate, quempiam ad Præsulatum vocant. Altera per scrutinium ex codicillis siue tabellis, quibus accedere potest ad complendum tabellarum iustum numerum, vocum suffragatio, vt tota electio celerius perficiatur, nec suffragia renouentur. Tertia per compromissionem, quando aliquibus viris idoneis collegium eligen-

gendi potestatem & arbitratum cōmittit, vt vice omnium de pastore provideant. Qui contra prædictas tres formas, inquiunt Antistites concilij Lateranensis & quidem mille trecenti triginta sex, eligere tentauerint eligendi potestatem ea vice priuentur, ita tamen vt electio ad sæcularium potestatem non deuoluatur. (Nam electio per eam facta ne valeat,) & vt confirmans diuersa quadam via electum, maximê si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approbauerit, confirmandi careat potestate, & proprij beneficij redditus amittat. Quibus hæc non satisfaciunt, & adhuc hærent in suis incommodis, tanquam in cæno, recordentur Axiomatis Philosophici *Afferre incommoda non est soluere argumentum*, ac perspi-

Con. Later. sub Innocentio 3. c. 24

C. 25

C. 26

ciant, esse, duntaxat subterfugia & prætextus hominum improborum & indignorum, qui quod virtute, doctrina, dignitate, laboribus pro religione comparari debet, non sperant se consecuturos, testimonio conscientiæ percussi & territi. Quemadmodum autem in ægris corporibus curandis non attendunt Medici, quid palato, quid linguæ arrideat, sed quid vniuersæ membrorum compagi conducat: ita in animis affectis & vitiatis non debet spectare Pontifex, quid huic Aulico, quid isti Politico commodum & vtile videatur, sed quid vniuerso Ecclesiæ corpori conueniat. Isti enim duntaxat metiuntur Pastoratus è temporariis & caducis opibus, ac putant Episcopum vel Abbatem definiendum multo redditum & vectigalium prouentu, non Anima-


rum pretioso Domini cruore coemptarum cura & sollicitudine. Auferat potius Pontifex bona temporaria, & nobis largiatur Præsules. Malumus Episcopos, malumus Abbates sine redditibus, quàm redditus sine Episcopis & Abbatibus. Nota est Themistoclis sententia, malo virum, qui indigeat pecunia, quàm pecuniam, quæ indigeat viro. Parcant pontifices, parcant principes. Istas voces nobis iustus dolor exprimit, extorquet fœda nostratis Ecclesiæ facies & adagium vetus, Amyclæ suo silentio perierunt. Sublata causa, aiunt Philosophi, tollitur Effectus. Tollatur ergo causa furoris Dei contra nos, quam sacrosanctorum munerum profatione & sacrilega distributione contineri non dubitamus, tum Numinis furor tolletur, qui ita atrociter Francos confi-

cit, vt nisi pontificia industria & sedulitate restingatur, redundaturus videatur in Italiam, Hispaniam, & cæteras Catholici nominis gentes, quæ nunc alta fruuntur pace. Vtinam autem fruantur diu, vt hospitia Catholicis tuta & secura esse possint, qui iam ex his Gallicis regionibus, omnis generis Leonum & Luporum vastationi laniatuique prostitutis, salutare exilium meditantur.

Crudeles fugient terras littusque profanum,
Tutius vt Numen ritè piéque colant.

FINIS.

ELENCHVS 10. CAPITVM HVIVS LIBELLI.


BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1898



